ARCHITECTVRA
INDIÆ
ORIENTALIS
PARS IX.
HISTORICAM DESCRIPTIONEM NAuigationis ab Hollandis & Selandis in Indiam Orientalem, sub imperio Petri-Guilielmi Verhuffii, cum nouem maiorum & quatuor minorum nauium classe, Annis 1607.1608.& 1609. susceptæ & peractæ, &c. continens:
Addita omnium, quæ hoc tempore eis obtigerunt, annotatione;
Auctore
M. GOTARDO ARTHVSIO
DANTISCANO.
Elegantissimis in æs incisis Iconibus illustrata & in lucem emissa per
Ioann. Theodorum de Bry, &c.
FRANCOFVRTI,
Ex officina Typographica Wolffgangi Richteri.
M. DC. XII.

LECTORI BENEVOLO S.

QVANDOQVIDEM Lector beneuole non iucundum solum & delectabile, sed & vtile admodũ & fructuosum est, quod quis domi suæ, in museo nempe suo sedens, terras & regiones varias earumq; situs, cõmoditates & qualitates, cũ variis variarũ gentium morib. & aliis peregrinis atque exoticis rebus perlustrare, peruagari & quasi coram intueri potest; nos quidem in diuersis nauigationibus quæ ab Hollandis atque Selandis in Orientalem Indiam susceptæ fuerunt, typis excudendis & in publicum edendis, nullis neq; sumptibus neque laboribus parcere voluimus. Quin imo vt omnia Lectori ad oculum quasi paterent, isque velut præsens omnia intueri posset, nauigationes istas multis in æs pulcherrime incisis Iconibus illustrauimus, quæ omna in peregrinis locis gesta, ad viuum repręsentarent, quemadmodum id ex tomis istis octo, quos in lucem hactenus emisimus, notum omnibus & manifestum esse potest.

Quemadmodum igitur hactenus in nobis nihil desiderari passi sumus, sic cum nuper pręsens hęc nauigatio, quam Hollandi & Selandi cum magna classe, ex nouem magnis onerariis nauibus, & quatuor celocibus constante, in Indiam Orientalem susceperunt, ad manus nostras perueniret, nosque descriptionem eius ita comparatam deprehenderemus, vt ex ea non minorem, quam ex superioribus delectationem Lector percepturus esset, quin eam publici itidem iuris faceremus, nihil in nobis desiderari passi sumus. Inchoauimus igitur hac descriptione tomum Orientalis Indiæ nonum, sancteque pollicemur, nos quamprimum pluribus eiusmodi nauigationibus potiti fuerimus, eas quamprimum tibi communicaturos & in lucem daturos esse.

ros esse. Interim rogatum te Lector volumus, vti studium hoc nostrum commendatum tibi habeas, & gratum tibi esse reipsa testeris: hoc enim si feceris, & calcar nobis; ad alia quæ sub manibus habemus maioris momenti opera in lucem propediem mittenda; addideris, & nos totos tibi commodisque tuis obstrictos & deuinctos feceris. Vale.

INDIÆ

INDIÆ ORIENTALIS PARS NONA.

NAVIGATIONIS AB HOLLANDIS ET SELANDIS IN INDIAM ORIENTALEM, SVB IMPERIO Petri-Guilhelmi Verhuffii, Annis 1607. 1608. & 1609. peracta, &c. descriptio.

POstquam Indicarum nauigationum Curatores, Amstelrodami, circa finem Anni 1607. sub imperio Petri-Guilhelmi Verhuffii, destinatam in Indiam Orientalem classem adornassent, commeatuque & rebus ad nauigationem istam necessariis omnibus probe instruxissent, inter classiarios milites reliquos Iohannes Verken etiam, natione Lipsiensis, conscriptus, & sub præfecto Henrico Cronenburgio, cui legatus Iacobus Wigandus, Signifer vero Hiobus Iansonius adiuncti erant, in classem traditus fuit.

Ioahannes Verken in classiariorum numerum cooptatus.

Constabat tum classis ex quatuor maioribus & duabus minoribus nauibus, quarum prima, confœderatæ prouinciæ nomen obtinens, vehendoque Admirali Petro-Guilhelmo Verhuffio inseruiens, onerum erat quadringentorum & quinquaginta capax, Nauclerum habebat Franciscum Iacobi classiariis centum & sexaginta quatuor, tormentis vero viginti octo munita. Altera Hallandia dicta, quingentorum & quinquaginta onerum capax, Nauclerum habebat Simonem Iansonium Gallum, classiariis ducentis & triginta sex, tormentis vero triginta duobus munita. Tertia Amstelrodamum dicta, onerum quadringentorum & quinquaginta capax, Nauclerum habebat Petrum Gerritsonium, classiariis centum & sexaginta quinque, tormentis vero viginti sex munita. Quarta, Ruffus Leo cum sagittis dicta, onerum trecentorum quinquaginta capax, Nauclerum vel Rectorem habebat Iohannem Walitsium, classiariis centum & octodecim, tormentis vero viginti duobus munita. Nauis minor siue celox prima Pauo dicta, centum & viginti quinque onerum capax, Nauclerum habebat Bartholomæum Iansonium, classiariis sexaginta quinque & tormentis octodecim munita. Celox altera, Arnoldus dicta, onerum centum & triginta capax, Nauclerum habebat Rudigerum Thomam, classiariis centum & octodecim, tormentis vero octodecim munita.

Nomina & numerus nauium.

His postmodum & aliæ naues accesserunt, Roterodamo nempe duæ; vna oneraria Roterodamum dicta, quæ onerum quingentorum capax, Nauclerum Ioannem Widdium habebat, classiariis ducētis & tribus, tormentis vero viginti quatuor munita: & altera celox, Griffon nomine, quæ onerum centum & viginti capax, Nauclerum habebat Cornelium Cornelii, classiariis sexaginta quinque, tormentis vero sedecim munita:

A Delphis

Delphis oneraria vna Diabolus Delphensis dicta, quæ quingentorum onerum capax, Nauclerum habebat Simonem Nigrum, classiariis ducentis & quinquaginta sex, tormentis vero viginti quinque munita erat. Horno oneraria vna Cornu dicta, quæ onerum quadringentorum & quinquaginta capax, Nauclerum habebat Martinũ Clotendreicherum, classiariis centũ & sexaginta sex, tormentis vero viginti duobus munita.

Præterea ex Selandia quoque naues tres soluerunt, onerariæ nempe duæ: Vna Mittelburgum dicta, quæ subpræfectum seu Viceadmiralem, Franciscum Witterum nomine portabat, onerum quingentorũ & quinquaginta capax. Hæc Nauclerum habebat Leonhardum-Cornelium Cracelium, classiariis ducentis & septendecim, tormentis vero viginti octo munita. Altera onerum erat ducentorum & viginti capax, Nauclerum habens Guilielmum Iacobi, & classiariis centum quadraginta, tormentis vero viginti sex munita. Tertia celox erat, onerum centum & triginta capax, Nauclerum habens Cornelium-Adrianum Heuvvagium, classiariis sexaginta septem, & tormentis sedecim munita.

Constabat igitur vniuersa hæc classis, nauibus onerariis seu maioribus nouem, minoribus vero siue celocibus quatuor, in quibus omnibus tam classiarii milites, quam duces, & ministri seruitoresque nautici alii, mille nongenti & quadraginta duo, tormenta vero trecenta & duo numerabantur.

Claßis quando soluerit & mari se commiserit.

Et milites quidem ad quatuor istas onerarias & duas Celoces Hollandicas destinati, cum post institutam 20. Nouemb. die lustrationem, Texeliam 27. Nouembris, quod 14. miliaribus ab Amstelrodamo distans oppidum est, delati essent, subsistere ibi ad *22*. Decemb. diem, quod rebus necessariis instructæ naues reliquæ nondum essent, coacti sunt. Prædicta igitur *22*. Decemb. die, cum ventum sibi fauere vidissent, sublatis statim anchoris soluerunt & carbasa ventis permiserunt, Hollandia naui, in arenis, quibus paulo post adhæserat, post se relicta.

Die *23*. Decemb. cum horis matutinis Dunquercam Flandriæ oppidum prætervecti essent, ad Caletum Galliæ oppidum post meridiem delati, cursum suum ita direxerunt, vt à sinistris illud, Douera vero castellum in præalto monte situm, & à Cacodæmone, vti fama est, ibi excitatum à dextris ipsis essent. Die *25*. Wichtam Angliæ cernentes, ad dextram eam post se reliquerunt, Ruffo leone cum sagittis, in nauim, quam confœderatam prouinciam vocabant, cum impetu, vt malum inde non exiguum contraheret, delato. Inde *26*. Decemb. certum singulis cibi potusq; demensum, ministrari cœptum est, ne alimonia per incuriam iusto citius absumpta, carere postmodum & cum fame conflictari necesse tandem esset.

Calendis Ianuarii Anno 1608. Hispanicum mare vix ingressi, procellas tempestatesque ingentes per octiduum experti sunt, vt non parum inde damni in nauibus, maxime vero in Cacodæmone Delphensi contraherent, quod progredientes tamen quoquo modo repararunt. Sexto Ianuarii dissipata ventis classe, tres onerarias, vnamq; Celocem, Amstelrodamum nempe, Ruffum leonem Sagittiferum, Cornu & Pauonẽ ex conspectu amiserũt, vt quid ipsis factum, incerti omnino essent. Quin & ventus ex aduersa plaga ingruens, tanto eos impetu inuasit, vt abreptas vi maxima cum Celoce vna ex residua classe, onerarias duas in Angliam ad leucas nonaginta reiecerit. Verum tempestate illa ad *12*. Ianuarii tandem

tandem ſedata, facile quod perpeſſi hactenus damni fuerant, ſuperarunt & repararunt.

Nauigationum Indicarum inertes & nouitii baptizantur.

Die 14. Ianuarii cum ad præaltas in mari rupes ſcopuloſque, (Barrels Hollandi vocant) delati eſſent, quotquot nauigationibus iſtis nunquam antea adfuerant, in mare præcipites dederunt & baptizatos quaſi albo nauigantium adſcripſerunt. Eſt enim hic mos nautis ſacer, vt ad ſcopulos iſtos delati, vlterius non progrediantur, priuſquam omnes locorum iſtorum ignaros & nauigationem iſtam nunquam antea expertos vndis immergant, ſuntque tam rigidi conſuetudinis iſtius obſeruatores, vt nec ſummæ nec infimæ ſortis hominibus parcant, quin imo canes etiam feleſque funi alligatos ter in mare abiiciant, idque in Regis Hiſpani (vt ferunt) gratiam, qui ſuſcepta aliquando per loca iſta nauigatione, cum ad ſcopulos iſtos perueniſſet, vndis ſeſe cum Regina vxore ter immergi paſſus fuerit, morique iſti initium dederit, ſequenti vero die peractis iſtis immerſionibus ſeruitor quidam nauticus, ex Noruegia oriundus, qui operam ſuam cacodæmoni Delphenſi locarat, ab anchora in mare prolapſus periit.

Inſula Sancta Porta.

Die 21. Ianuarii, occidente iam circa veſperam ſole, Inſula ipſis cui Portæ Sanctæ nomen, apparere cœpit, ad quam circa noctis medium poſtmodo appulerunt. Eſtque ea prima inter Canarias fertilis admodum & vini ſaccharique prouentu diues, à Texelia leucis quingentis & triginta diſtans.

Los Cerxes.

Sequenti die ad inſulam Los Cerxes venerunt, quæ & ipſa pulchra eſt, vini ſaccharique ferax, diſtatque à Porta Sancta leucis 12.

Ile Madera.

Inde ad Inſulam Ile Madera dictam delati ſunt, quæ ab inſula Los Cerxes 4. leucis diſtat, & quotannis aliquot centena vini ſacchariq; onera ſuppeditat.

Teneriffa.

Die 25. Ianuarii ad inſulam Teneriffam, quam magnam Canariam vocant, appulerunt. Hæc reliquarum Canariarum maxima eſt tribus pulcherrimis oppidis conſpicua, & multorum fructuum, vini potiſſimum ſaccharique admodum ferax, diſtat à Madera Inſula 70. leucis.

Cherſica Inſula.

Inde ad inſulam Cherſicam, tribus leucis à Teneriffa diſtantem venerunt, altiſſimo monte, quem Biccam vocant, conſpicuam. Mons iſte altiſſimus omnium quotquot in mundo ſunt habetur, poteſt enim ad 60. leucas videri, nubeſque penetrat tanta altitudine, vt licet æſtus per inſulam iſtam deprehendatur maximus, per totum tamen annum vertex & cacumen montis glacie niuibuſque plurimis ſcateat, referuntq; Inſulani, impoſſibile eſſe, ad ſupremum montis verticem, ob niuium copiam, frigoriſque vim maximam pertingere.

Gomera.

A Cherſica inſula ad Gomeram inſulam peruenerunt, quæ Canariis itidem adnumeratur, ſed cum reliquis comparari nullo modo poteſt, cum nec vini nec ſacchari quicquam producat, diſtat autem ab inſula Cherſica leucis quatuor.

Del Palma.

E regione autem Gomeræ ad dextram ſitam reliquerunt inſulam Del Palma dictam, quæ & ipſa fertilis elegansque inſula eſt, vini ſacchari-que & aliorum fructuum ferax, & à Gomera quatuor leucis diſtans.

El ferro.

A Gomera autem ad inſulam El ferro peruenerunt, quatuor leucis ab ea diſtantem, quæ & ipſa pulchritudine & fertilitate ſua, aduentantibus ſatis ſe commendare poteſt. Celebris eſt autem maxime ab inſigni miraculo Dei, in media enim inſula arbor eſt craſſa admodum & procera,

quæ obſcura nube perpetuo tecta latet, vnde folia tam redduntur humida, vt guttas perpetuo ſtillare cernantur. Itaq; Inſulani, cum aquam aliam dulcem nullam habeant, aſportatis, & vel ſub arborem diſpoſitis, vel ad ramos appenſis vaſis, aquam eam colligunt & ad quotidianos vſus adhibent, Deo ita penuriam iſtam & defectum aquæ mirabiliter ſupplente. Hæ octo Inſulæ Canariæ dicuntur, quæ generoſiſſima vina Hiſpanica, & præſtantiſſimum ſaccharum nobis ſuppeditant. Tametſi vero ad iuriſdictionem Hiſpaniæ Regis pertineant, maxima tamen parte à Luſitanis habitantur & poſſidentur.

Inſula de Sal. Secundo Februarii circa meridiem, viſendam ſe eis inſula alia vulgo Ila de ſal dicta, præbuit, cum adhuc leucas duodecim & amplius ab ea abeſſent, & ante Solis occaſum eam aſſequi non poſſent. Diſtat autem ab inſula ſuperiori El ferro leucis centum & ſeptuaginta ſex.

Bona Fiſta Inſula. Ile de Maio. Cum illuxiſſet iterum, ad Inſulam, Bona Fiſta vulgo dictam, quæ à priori Inſula de Sal, octo leucis abeſt, venerunt, eaque ad dextram relicta, circa veſperam ad Inſulam Ile de Maio, quæ à Bona Fiſta 16. leucis abeſt, appulerunt. Hic omnes ſuas naues ab ancoris quieſcentes deprehenderunt, nempe non ſolum onerarias duas cum Celoce Selandicas, itemque onerariam vnam cum Celoce ſua, Roterodamenſem, ſed & onerariam, cui Hollandiæ nomen, quæ cum Texelia ſoluiſſent arenis adhærens remanſerat. Ea enim poſtero ſtatim die, ex arenis per gratiam Dei liberata, curſum ſuum ita inſtituerat, vt claſſem reliquam præuertens, Inſulam illam de Maio omnium prima aſſequeretur. Inuenerunt autem ibi & tres onerarias cum Celoce, quas 6. Ianuarii die per tempeſtates & procellas è conſpectu amiſerant, vt ita naues omnes onerariæ videlicet nouem & Celoces quatuor ſimul ibi conuenerint, itaque diſploſione omnium tormentorum, lætitiam ſuam abunde teſtati ſunt. Cæterum numerus leucarum ab Amſtelrodamo, ad Inſulam hanc Ile de Maio dictam, ad 841. aſcendere putatur.

Inſulæ de Maio deſcriptio. Quinto Februarii, claſſiarii omnes in terram expoſiti ſunt, vt ſalutari aura ſe reficerent. Inſula vero de Maio, tota horrida & inculta eſt, montibus ſcopuliſq; referta, leucas in circuitu ſeptem continet & à nullo habitatur. Reperiuntur tamen ex Hiſpanis, Luſitanis & Æthiopibus ad quadraginta ferme, partim ob facinora eo deportati & relegati, partim paſcendis pecoribus, & feris capiendis deſtinati. Hi tribus diſtinctis locis tuguriola habent miſera admodum, & eo ſolum fine excitata, vt ab æſtu nimio, p'uuiiſque tuti latere in eis poſſint, quamuis pluuias toto anno ne ſemel quidem, præterquam tribus menſibus, Iulio nempe, Auguſto & Septembri continuas & die nocteque non ceſſantes, experiantur.

Animalia in Inſula de Maio. Fructuum hæc Inſula expers eſt, præter enim goſſypium & ficos nihil producit. Reperiuntur tamen ibi multi admodum equi agreſtes, boues item & aſini, multi item Cercopitheci, quorum non paucos Hollandi comprehenderunt & in cibum aſſumpſerunt. Capros ibi reperias capellaſque feras tanta copia, vt ad mille vno loco numerare frequenter poſſis. Itaque Hollandi multos venando ceperunt. Quin & aceruos paſſim ex ſole duratis caprarum carnibus, ad tugriola iſta extructos viderunt.

Aues in Inſula de Maio. Anſeres præterea inſula habet ſylueſtres rubri coloris, innumeros, itemque & varia volucrum genera, quarum Hollandi aliquot ceperunt, grues ferme & ciconias noſtrates colore & forma referentes. Quin & multas auiculas in foraminib. petrarum, manibus comprehenderũt, bre-

ues

ues latosque pedes & rostra oblonga habentes, colore albo & per dorsum alasque subcinericeo, cristas habentes in cauda tres tenues admodum & vlnam integram cum vna quarta longas.

Sed & pisces ibi ceperunt Hollandi varios & mirabiles, quorum aliqui flaui erant coloris, malorum aureorum instar, multis nigris punctulis variegati, alii Cyprinos, alii Merulas siue Thinnas referebant. Capite tamen & cauda pinnisque ita flauescentibus ac si Croco infecti fuissent, alii forma & magnitudine Murenas fluuiatiles referebant, canales habentes ex fronte ad vlnæ dimidium prominentes, in quorum extremitate foramen cernebatur exiguum, oris vicem sustinẽs, alii lucios mediocres longitudine exprimebant, rostra ficedularũ nostratium instar habẽtes, alii forma erant & specie alia, quos omnes hic describere longũ nimis foret.

Pisces in Insula de Maio varii.

Octauo Februarii, miles quidam classiarius ad mortem ob facinus aliquod condemnatus cum iam Sclopis conficiendus esset, ad quorundam intercessionem, vita donatus est, ita tamen vt ad Insulam quandam in India Orientali expositus, vitam ibi perpetuo degeret, eratque caput facinoris, quod rerum capitalium præfectum, qui eum obiurgarat, gladio à tergo vulnerauerat, ita quidem, vt post dies aliquot inde moreretur, vnde etiam in naui quam Cornu vocabant, compede semper hactenus vinctus & captiuus detentus fuerat.

Miles quidam classiarius ad mortem damnatus.

E regione huius Insulæ, sitam habebant insulam San-Iago vulgo dictam, eratque trium leucarum inter vtramque distantia. Ingens autem inter vtramque, quoad fertilitatem & bonitatem differentia est. San Iagonis enim insula culta admodum est, & frequenti populo habitata, castella habens seu propugnacula tria, & vrbem munitissimam, quam San Michaelem dicunt, possuntque in ea, vt constans fama est, breui tempore, ad tria equitum armatorum millia colligi. Vini autem fructuumque aliorum est feracissima.

San Iago Insula.

Quatuor hæ Insulæ, nempe Ile de Sal, Bona fista, Ile de Maio, & San Iago, Salis insulæ vocantur, eam ob causam, quod multum ibi salis coquatur. Quotannis enim aliquot cẽtenas naues sale oneratas in Germaniam, Angliam, Galliam, Daniam & regna alia dimittit, Regem autem omnes Hispanum, Dominum agnoscunt.

Insulæ Salis.

Die 14. Februarii, militibus omnibus nauesiterum ingressis, inde soluerunt, cursumque suum versus San Helenæ insulam direxerunt. Erat autem iam cereuisia, quam ex Hollandia aduexerant, omnis euacuata, itaque vini singulis & aquæ certam quotidie mensuram præbere cœperunt. Die vero 16. volantes ipsis pisces primo visi sunt, magnitudine Haleces vt plurimum æquantes.

Pisces volantes.

Die 18. Februarii in plagam Æquinoctialis lineæ venerunt, in qua quidem superanda, ad decimum septimum vsque Martii desudandũ ipsis fuit. Sexto tamen Martii die ipsam lineam in parte australi transierunt. Distat autem linea ista æquinoctialis ab Insula de Maio, leucis trecẽtis, & nihil aliud est quam tractus aliquis siue sectio in cœlo obseruata, ad quam Sol bis in Anno, 22. nempe Martii, & 22. Septemb. die pertingere solet. Quicquid autem intra sex gradus, hoc est, intra 90. miliaria cis lineam, quemadmodum etiam intra sex gradus vel 90. miliaria trans lineam istam, spacii situm est, omne à nautis ad lineam istam computatur. Aerem experiuntur nautæ toto itinere non magis quam ibi insalubrem, æstumque tam intensum, vt cum nullo balneo comparari possit,

Perueniunt ad lineam æquinoctialem.

nam vel nudos incedentes ſudorē profundere toto corpore largiſſimum videas, præterea aer plane quietus eſt, ita vt ventum ne deprehendere quidem minimum poſſis, nihilominus tamen tempeſtates & procellæ ſubito tam ingentes ſæpe cum imbribus & tonitruis exoriuntur, vt ſubmerſionis & naufragiorum periculum euitare, non niſi ſubita velorum contractione naues poſſint. Quin & inconſtans ibi maxime tempeſtas eſt, ita vt vel vicies ea vel tricies vno die mutetur, vnde fieri interdum ſolet, vt vix quatuor vel quinque menſibus tractum iſtum naues conficere & ſuperare poſſint. Pluuia eius loci tam pernicioſa eſt, vt veſtimenta niſi in mari ſtatim eluantur, breui tempore corrodat & conſumat. Quin & vermiculis ſcatet pluuia, & aer tam peſtilens eſt, vt pulices pediculique eum ferre nequeant, ſed omnes quàm primum ad locum iſtum venias, extinguantur, vnde virginibus mulieribuſque gratus eſſet hic locus maxime, quòd nulla ibi cum pulicibus lucta ipſis ſuſtinenda.

Piſces ab Hollandis in tractu lineæ æquinoctialis capti.

Hollandi ibi ſtellam polarem, cum Vrſæ ſidere ex conſpectu ſuo amiſerunt, orientibus ipſis ſtellis auſtralibus, & aliis incognitis, quæ in noſtris regionibus nunquam cernuntur. Proxima quam ibi viderunt regio, SanteMee vocatur, vnde plurimum auri & argenti prouenit. Eam ad centum leucas à ſe diſſitam, ſiniſtram verſus reliquerunt, dextram vero verſus Indiæ occidentalis ſeu Americæ regionem; ad centum & quinquaginta leucas à ſe remotam habebant. Multos autem & varios piſces ibi viderunt. Ceperunt enim primo quos Haien vulgo vocant. Suntq; piſces magni & longi, latis admodum & craſſis capitibus, cute craſſa & nigra per tergum, albeſcente tamen nonnihil in ventre, obducti; hominibus admodum infeſti & pernicioſi, quos in mari aliquando lauantes diſcerpere & totos deglutire ſolent, carnem habent duram admodum; & quæ in cibum aſſumi non poteſt, itaque licet multi ab Hollandis ſubinde caperentur, omnes tamen ipſi vel in fruſta diſſectos, vel ad ligna alligatos & exenteratos in mare iterum abiecerunt. Ceperunt deinde piſces quos Tonninas vocant, cutem itidē nigram & aſperam habētes, gibboſo tergo & pinnis admodum acutis. In mari magna copia oberrantes, piſcibus volantibus & aliis minutioribus inſidiantur, qui volatu & ſaltatu inſidias hoſtium ſubinde euitare iucundo ſpectaculo cernuntur. Piſces hi nocturno ſæpe tempore tanta copia nauibus adhæſerunt, vt ſplendorem inſtar flammæ ardentis emiſerint: cibum alioqui non ingratum veſcentibus præbent. Porro piſces etiam alios ceperunt, quos Bonnitos vocant. Hi forma & colore Bdellis noſtratibus ſimiles ſunt, multo tamen maiores, duarum nempe & trium vt plurimum librarum, caudam habentes inſtar dimidiatæ lunæ incuruatam & latitudine palmam viri æquantem; in tergo & ventre pinnas habent tenues & ordine pulcherrimo diſpoſitas, & carnem palato non ingratam præbent. Sed & piſces ceperunt quos Albo Cores vocant, forma & ſpecie Bonitis omnino ſimiles, ſed magnitudine eos multum ſuperantes. Hi volantibus piſcibus ita inſidiantur, vt ad viri ſæpe altitudinem ex aqua, volantes piſces captum exſiliant, qui vbi eos animaduertunt, non facile in aquam ſe rurſus dimittunt, ſed adſunt interea nigræ volucres, quas vulgo Rabos forcados vocant, in mari paſſim oberrantes. Hæ volantes iſtos piſces vnguibus ſuis corripiunt & deuorant, vt ita miſeri iſti piſces tam in vndis quam extra eas hoſtes ſuos habeant, & perſecutionem patiantur. Piſces autem iſti quos Albo Cores vocant, carnem ſimiliter bonam habent & cibum non ingra-

ingratum præbent. Tandem & piſces alios ceperunt quos Toratos vocant piſces ſunt oblongi, Mullis ſeu Barbis noſtratibus ſimiles, Cæruleo colore per corpus totum conſpicui cum flaueſcentibus nonnihil cauda & pinnis, cibum præbent gratum & iucundum.

Abrolhos ſeu ſcopuli occulti in mari ſuperati.

Die 25. Martii primus in naui, quam confœderatam prouinciam vocant, mortuus eſt, eratq; is ex Norvegia oriundus. Sequenti autem die vini demenſum ipſis minuere cœperunt. Die 29. Martii Abrolhos prætervecti ſunt, ſcopulos nempe ex Braſilia ad triginta miliaria ſub vndis decurrentes, & maximum nauigantibus periculum creantes, fieri enim haud raro ſolet, vt poſtquam eo peruentum eſt, niſi ad iuſtam altitudinem pertingant, domum redire naues & iter eo anno intermittere cogantur. Diſtant autem ab æquinoctiali linea ducentis & ſeptuaginta miliaribus, hoc eſt gradibus integris duodecim.

Triumphus ob reportatam ab Hiſpanis victoriam.

Die 25. Aprilis tormenta omnia diſploſerunt, in recordationem pugnæ iſtius & victoriæ, quã ſuperiori anno Hollandi ſub Hembskirchii imperio in freto, quod Gollatar ſiue Iupiter vulgo vocatur, ab Hiſpanis reportarant, Hemskirchio quidem, cum claſſe ex vna & viginti militaribus, atque octo onerariis aliis nauibus conſtante, claſſem Hiſpanicam ex octo Gallionibus & decem aliis Hiſpanis nauibus conſtante, fortiter aggrediente, & Admirali eiuſque vicem gerente cum nouem ingentibus nauibus aliis, littus verſus in arenas propulſis atque profligatis, victoriam fortiter obtinente.

Perueniunt ad San Helenæ Inſulam.

Die 30. Aprilis balenæ ingentes duæ per dimidium diem naues circumierunt, quarum altera ad 30. orgyas longa putabatur. Tertio autem Maii die Senatus militaris in Admiralis naui congregatus de itinere ita inſtituendo, vt terram aliquam quamprimum aſſequi poſſent, conſultarunt, ventos enim tales omnino habebant, quorum beneficio ad San Helenæ inſulam pertingere nullo modo poterant. Erantq; iam multi in nauibus ægrotãtes, vt refectione & aeris tempeſtiua mutatione opus omnino eſſet, reſponſum tamen ab Admirali eſt, expectandum adhuc ad biduum vel triduum, ſi Deus forſitan ventos largiri commodiores vellet. Sub veſperam autem, cum ad naues ſuas quiſq; reuerſi eſſent, tanta tempeſtas tonitruis fulgoribuſque permiſtis exorta eſt, vt extremum omnibus periculum immineret, cum præſertim & Carbaſa, quæ nimia feſtinatione contrahi non poterant, iam diſcerperentur. Quarto autem Maii, tempeſtate illa paululum ſedata, ventus ipſis exoptatus, cuius beneficio San Helenæ inſulam aſſequi poſſent, aſpirare cœpit.

Die 15. Inſula San Helenæ ipſis apparere cœpit, vnde lætitiam non exiguam animis conceperunt cum longo admodum, tredecim nempe menſium ſpacio, quamdiu ſcilicet ab inſula de Maio abfuerant, terram nullam vidiſſent. Sequenti autem 16. die portum San Helenæ ingreſſi, anchoras ſuas in profundum abiecerunt. Verum enimuero ſpe ſua, quia naues aliquot Luſitanicas ſeſe ibi deprehenſuros putauerant, fruſtratos ſeſe, hac quidem vice videbant, itaque ſequenti die ægrotos ſuos omnes & male habentes ex omnibus nauibus in terram exportarunt, erantque numero quingenti ſexaginta quatuor, qui omnes tamen decem dierum ſpacio ſanitati reſtituti ſunt vireſque priſtinas recuperarunt, tribus ſolummodo exceptis, qui vitam cum morte commutantes ibi ſepulti ſunt: perquam opportune autem acciderat, vt portum iſtum aſſequerentur, niſi enim id factum fuiſſet, mortem profecto effugere quam

re quam plurimi nullo modo potuiſſent, atq; ita ſepulchrum inter monſtra marina in medio mari inueniſſent.

San Helenæ inſulæ deſcriptio.

S. Helenæ inſula alta admodum & montoſa regio eſt, ab Æquinoctiali linea ad ſexcenta & triginta miliaria diſtans, quæ diſtantia tamen ſcopulis iſtis quos Abrolhoc vocant imputanda eſt, ſi enim ſine illis eſſet, & quis recta ad eam curſum ſuum dirigere poſſet, diſtantia iſta vlt a ſedecim gradus, hoc eſt, ducenta & quadraginta miliaria non excurreret. Hollandis hac vice miliaria bis mille & amplius conficienda fuerunt, propter ventum plane contrarium, quo mox verſus orientem, mox verſus occidentem, mox verſus meridiem, mox verſus ſeptentrionem propellebantur. Solent quidem ſingulis annis hoc ipſo tempore Hiſpani & Luſitani, ex China, Goa & aliis locis domum repetentes, nauibus ſuis ad inſulam iſtam appellere, ſperabant igitur Hollandi ſe naues aliquot Hiſpanas vel Luſitanas ibi deprehenſuros, verum ſpe ſua hoc tempore fruſtrati ſunt. Cæterum inſula iſta tota deſerta eſt & inculta, ita vt nullum in ea ædificium, præter templum ſiue ſacellum aliquod exiguum, à Luſitanis ad ſacra, quando adueniſſent, in eo peragenda, extructum, cernatur, interim tamen fertilis eſt admodum & bona, aeremque habet tam ſalutarem, vt nulli loco quicquam concedat; quemadmodum id ex ægrotantium ſtatu colligere facile eſt. Naſcuntur in hac inſula mala aurea, citrina, lemonia, & ficus magna copia, abundat item auibus, vtpote perdicibus, pauonibus, columbis, alaudis & aliis ſylueſtribus, quin & damarum, caprarum, aprorum & aliarum ferarum prouentus ibi maximus eſt, quas etiam Hollandi magno numero ceperunt & in cibum aſſumpſerunt, carnes habent boni ſaporis & magnitudine pinguedineque feras in inſula de Maio repertas longe ſuperantes. Sed & piſces ibi ceperunt Hollandi varii generis, vtpote Macarellos, qui tenues ſunt & oblongi, caudam habentes ſubflauam, dorſo cæruleo, ventre vero albeſcente, ſquamas raras habentes & magnitudine Lucios noſtrates vnius libræ æquantes. Deinde piſces ceperunt, quos Iacebiſſos vocant, multis punctulis toto corpore variegatos, & magna capita, oculoſque admodum conſpicuos cum acutis admodum pinnis inſtar porculorum vel percarum minorum, habentes, & pondere duarum librarum conſtantes, præterea piſces alios ceperunt tres quartas vnius vlnæ vt plurimum longas, & vix digitum craſſos, roſtrum habentes ſex digitos longum inſtar ficedularum, ſed & alios, orgyam longos, & brachium craſſos ceperunt, dentes habentes in ore admodum proceros & prominentes, & carne quæ colore & ſapore anguillis noſtratibus non abſimilis eſt, cõſtantes. Hos & alios cum magna copia cepiſſent, nihil ipſis quod ad corporis refectionẽ pertinet deeſſe potuit. Inſula ipſa in circuitu ſeptem continet miliaria, & medio mari, inter continentem Africæ, & continentem Braſiliæ, itemque auriferi littoris Guineæ ſita eſt.

Ab inſula San-Helenæ iterũ ſoluunt.

Secundo Iunii die conuaſatis rebus omnibus, naues iterum conſcenderunt, & circa veſperam ab inſula iſta ſoluentes, curſum ſuum verſus promontorium, quod Cabo de bona Eſperança vocant, direxerunt. Exorta autem 14. Iunii ingens tempeſtas, ad *18.* vſque durauit. Sequenti autem die velificationem, verſus Euro-auſtrum direxerunt, cum eodem die veram altitudinem, ad caput bonæ ſpei perueniendi aſſecuti eſſent. Die 16. ſub noctis initium nauis Selandica quam Falconem nominant, partim negligentia ad remos ſedentium, partim ventorum iniuria ad Admiralis nauim, vnitam nempe prouinciam proiecta eſt, tãto cum impetu & fra-

& fragore, vt certiſſimum ſibi imminere interitum omnes putarent, Diuinitus tamen, partibus in vtraque naui, quæ ſine incommodo & periculo reparari facile poterant, diſturbatis & perfractis, conſeruati ſunt.

Frigus circa promontorium bonæ ſpei.

Die 19. Iunii ſingulis matutino tempore, vini aduſti hauſtulum prębere cœperūt, idque eam ob cauſam, quod frigida nonnihil loca ipſis iam tranſeunda eſſent, durauitque frigus iſtud ad 20. vſque Iulii. Sciendum enim eſt in tractu iſto ad ducenta miliaria cis & trans promontorium illud bonæ ſpei, aerem eſſe frigidum admodum, atque ita neceſſe eſſe, vt nauigantes hauſtulum vini aduſti pro calefaciendo ventriculo quotidie bibant. Die 20. Iunii circa veſperam ventum nacti ſunt cum procella multiſque imbribus vehementiſſimum, cum igitur iuſtam iam promontorii altitudinem aſſecuti eſſent, curſum ſuum verſus Euro auſtrum tenuerūt. Die 24. Iunii, quæ San Ioanni Baptiſtæ ſacra erat, tempeſtas ventorum niuibus imbribuſq; admiſtis tam pernicioſa extitit, vt nauis Hollandia dicta non parum inde damni contraxerit, durauitq; tempeſtas iſta per ſequentem etiam diem, vſque ad 26. quo vento remittente, aerem experiri placidum iterum cœperunt.

Volucres nigræ in mari natantes.

Viderunt autem hoc die multas ingentes volucres nigras & cinerei coloris punctulis variegatas, roſtro candido, ſimiliter & alias rubri coloris, magnitudine anates ferme noſtrates æquantes, & earum inſtar in mari natantes. Videbant etiam herbas quas Trombas vocant, nauibus adnatantes, quæ omnia bona erant indicia, quod à Promontorio bonæ ſpei non longe amplius abeſſent, cum volucres iſtæ, quemadmodum & herbæ quas Trombas vocant, quæque arundines vel algam marinam forma ſua referunt, in nullo alio loco cernatur. Creſcunt autem ad ripas fluminum continentis Africæ regionis, atque à rapidiſſimo fluxu, qui inter duo iſta promontoria, bonæ ſpei nempe & Falconis, mare ingreditur, in tractum iſtum propelluntur, exceduntque ſæpe longitudine duas vel tres orgyas, latitudine vero & craſſitie brachium viri. Itaque quando prædictæ iſtæ volucres cum Trombis ſeu arundinibus iſtis apparere incipiunt, certiſſima inde coniectura capitur, quod à promontorio bonæ ſpei naues amplius non longe abſint.

Perueniunt ad caput bonæ ſpei.

Die 27. Iunii, hora matutina antequam illuceſceret tertia, diſploſione vnius atque alterius tormenti in Celoce aliqua facta, ignis accenſus eſt, vnde colligere reliquis difficile non erat, quod à promontorio bonæ ſpei non longe amplius abeſſent. Miſſa igitur in profundum bolide, ad centum & quinq; orgyas, arenoſam terram nigris lapillis permixtam, deprehenderunt. Poſtquam autem dies facta eſſet, prætervectos ſeſe iam promontorium illud viderunt, quod ad ſiniſtram oculis ipſorum adhuc patebat, experiebantur autem ſummum frigus iſto die, vento afflante, & curſum eorum egregie promouente Zephyro.

Capitis bonæ ſpei deſcriptio.

Eſt autem promontorium iſtud, ingens terræ tractus à continente Africæ regione ad quinquaginta vel ſexaginta miliaria in mare excurrens, multis & variis latentibus ſub vndis ſcopulis formidabilis, vnde mare etiam ibi ad centum miliaria cis & trans promontorium fluctibus valde deformatur. Diſtat à San Helenæ Inſula ſexcentis miliaribus, tempeſtateſque ibi tam crebræ & magnæ exiſtunt, vt multæ Luſitanæ naues plane illis obruantur & euertantur, cum præſertim niues & frigora imbreſque, cum quibus ſemper ibi depugnandum eſt, perferre non poſſint. Eſt profecto loco iſto nullus toto itinere periculoſior, vt non immerito naui-

gationem in Orientalem Indiam facientes, vbi promontorium istud superarint, periculis laboribusque defunctos sese maximis arbitrentur.

Cabo de Falco.

Circa vesperam ad promontorium aliud, quod Cabo de Falco nominant, peruenerunt. Distat illud à promontorio bonæ spei 12. miliaribus, estque regio admodum eleuata, Hollandi vero eo ad sinistram relicto, cursum suum versus promontorium de Aguilhas direxerunt. Die 28. tempestate exorta subito, naues vndis plane obrutæ sunt, factumque est, vt nauem Cornu dictam ex cõspectu suo amitterent. Frigus autem experiebantur maximũ, & post meridiem Caput de Aguilhas assequebantur.

Cabo de Aguilhas.

Est promontorium istud de Aguilhas, terra humilis & depressa ad continentem Africæ regionem se extendens, distatque à promontorio de Falco, tredecim miliaribus. Peruenerunt autem paulo post ad sinum maris, Aguada de Sambras dictum, qui sinus quidem ab omnibus ventis tutus est, exceptis borealibus, conclusus est vndique terra admodum eleuata, & in latere occidentali arborem habet, quæ castelli cuiusdam speciem eminus aduentantibus exhibet, portus ibi est optatissimus, & qui ad decem vel sedecim orgyis terram arenosam in fundo præbet.

Sinus Aguada de Sambras.

Sinus iste Aguada de Sambras situs est in aurifero regno Monomatapa, & pecoris admodum diues est, abundat enim bobus & ouibus, habetq; leones & Elephantos. Suppeditat item volucres, vtpote Struthiones, Coturnices, alaudas & alias, & quidem vilissimo precio omnia ibi cõparare licet. Emas enim vno cochleari stãneo, vel cultello, vel ferri frustulo, bouem vel oues duas tresve pingues admodum & elegantes. Oues isthic loci tanta sunt bonitate & magnitudine, vt præstantiores vix vllo loco inueniantur. Caudas habent tam amplas & crassas, vt vndecim interdum & duodecim libras pondere suo superent. Carnem vero habent boni admodum saporis, quod herbis quibus vescuntur, pręstantissimis acceptum ferendum est, Lanam tamen nullam, sed crines tantum instar vitulorum nostratium habent. Homines ibi degentes, staturæ multo breuioris quam in nostris regionibus sunt, colore fusco & subnigro, voce submissa vtentes, ita vt vix audiri possint, illic qui in Campania ad Alpes habitãt, qui strumis à collo dependentibus impediti claram edere vocem non possunt. Omnes nudi incedũt, aliqui tamen ditiores & præstantiores aliis pelle bubula vel ouina corpus instar amiculi & pallii tegunt, crinibus ad interiora conuersis. Corpus præcingunt baltheo ex pelle bubula vel ouina palmi latitudine refecto, ei vero plerunque caudam ouinam appendunt, qua pudendas corporis partes contegant; plantis pedum folia arborum substernunt, quæ calceorum munere fungantur. Ornatus corporis reliquus nullius est momenti vel precii, primarii tamen annulos ex ebore vel cupro confectos brachiis induunt, globulisque ligneis & osseis vtuntur. Paucos ex præcipuis videas annulos aureos exiguos in digitis, & globulos ex carne fumo durata confectos in collo gestantes. Moribus sunt omnino feris & caninis siue beluinis, vbi enim bouem vel ouem aliquam diuenderint, intestina sibi plerunque repetunt, eaque postmodum nacti, in pellem crudam bubulam vel ouinam fimo haudquaquam liberata & purgata profundunt, pellem istam vel cutem quatuor palis alligant, subiecto sub eam lento igni, vt calefieri intestina possint, quæ ita paululum macerata & calefacta, cum fimo & stercoribus omnibus deuorant, spectaculo fœdo admodum & detestabili. Quod autem ad gallinarum & auium volucrumque intestina attinet, ea simulatque

ex corporibus extrahuntur,cruda canum instar deuorant, ad quorum etiam propius,quam hominum naturam accedunt,olentque & fœtent tam grauiter,vt eorum præsentiam vix ferre queas, corpora subinde pinguedine & seuo animalium fœtido inungentes.

Vltimo Iunii & 1. Iulii ingentem experti sunt tranquillitatem, velificationemque his diebus iuxta continentem Africæ regionem fecerunt. Circa medium autem noctis ventum acceperunt commodum, sed multa grandine, tonitruisque & fulguribus admixtum, vt carbasa colligere cogerentur.Cumque tempestas ista paululum remisisset,cursum suum septentrionem versus direxerunt. Sequenti die Cornu nauis,quam 28. Iunii per tempestates maximas è conspectu amiserant, classi se iterum adiunxit.

Tranquillitas in mari magna, eamque secutæ tempestates.

Quarto autem Iulii primo statim diluculo ex naui Amstelrodamo displosum tormentum, ignisque expositus est, vnde colligere poterant damnum ei aliquod illatum esse, quemadmodum etiam paulo post, vbi dies facta esset, partes aliquas tempestatibus fractas & dissipatas cognouerunt.

Cæterum 6. Iulii tanta iterum ventorum vis exorta est, vt vela & carbasa sua omnia colligere cogerentur. Ferebantur igitur per diem integrum,sine velis in mari, fluctibus subinde naues operientibus,tantumque in eas aquæ profundentibus,vt Seruitorum nauticorum aliqui vmbilicotenus aquis quæ tam cito defluere non poterant, insisterent.

Die 13. Iulii tormenti displosione in Falcone Celoce, quæ classem reliquam præcesserat & iam longe admodum excurrerat, facta, vexillum in puppi circa meridiem explicatum fuit, vnde colligere qui in reliquis erant nauibus, poterant, terram ipsis forte visam esse, quod ipsum etiam qui in specula constituti erant,paulo post confirmarunt.Circa vesperam igitur ad terram istam pertingentes, Cephaliæ regionem esse cognouerunt.Regionis istius incolæ barbari admodum & agrestes sunt, nudi maximam partem incedentes,paucis exceptis,qui linteamina,sed vlnam dimidiam lata, pudēdis obuelata gestant.Fusco sunt colore, & staturæ paulo maioris, vocemque crassiorem, quam qui ad Cabo de Aquilhas habitant, emittentes. Sunt autem Anthropophagi, hominibus omnibus infensi , ita quidem, vt si aliquos ex Hollandis, sine armis apprehendere possint, eos statim occidant vorentque.

Perueniunt ad regionem Cephaliæ.

Die 17. ad promontorium quod Cabo Carindos vocant, venerunt. Distat hoc promontorium à superiori Cabo de Aquilhas, ducentis & quinquaginta miliaribus, estque terra montosa & albescens instar cretarum in Norvegia & Anglia montium. Situm est in regione Cephaliensi auri ditissima. Homines habet non tam agrestes ferosque quam qui ad caput bonæ spei,itemque ad caput de Aquilhas habitant. Quin & illis mitiores humanioresq; sunt,qui initium regionis Cephaliæ possidēt, quamuis statura & colore illis per omnia assimilentur. Abstinent etiam ab humanis carnibus, quamuis interim candidis hominibus admodum sint exosi & infesti, nam & illos si inermes deprehendant,inuadunt & interficiunt, interfectis vero Cranium auferunt illudque postmodo sole duratum in tuguriolis suis recondunt & inter preciosissima quæq; asseruant. Quin & vbi ex familiaribus quosdam conuiuio exceperunt, Crania ista proferunt,iisque pro poculis vtuntur. Regem cui parent,natione Lusitanum habent.

Promontorium Cabo Carindos.

Manicæ regnum auri diues.

Die 18. velificationem iuxta continentem Boenæ terram fecerunt, quæ terra incolas & ipsos Anthropophagos, nudosque incedentes habet: situm est autem in hac regione, Manicæ regnum, auri gemmarumque preciosissimarum, quales vix toto orbe reperias, prouentu admodum diues, distatque à maris littore ad triginta miliaria.

Promontorium San Sebastiani.

Sequenti 19. die ad promontorium quod Cabo San Sebastiani vocant venerunt. Distat hoc à Cabo Carindos viginti quinque miliaribus. Terra est bona admodum & fertilis, mala aurea, citrina, medica, limonia, & fructus alios proferens. Incolæ nudi etiam incedunt, sed tamen non adeo feri & agrestes sunt, sed mitiores paulo & humaniores, à quibus obtineri quæ ad refectionem corporum necessaria sunt, facile possunt, vili plerunque pretio, permutatione nempe cochlearium, cultellorum, ligularum, & globulorum acu traiectorum, quæ omnia preciosa admodum in oculis ipsorum apparent. Portus ibi est recipiendis nauibus admodum conueniens, quem Verhagii sinum vocant. Die 20. tanta ventorum tranquillitas erat, vt ne animaduertere quidem, vnde aura moueretur, possent. Sequenti vero die ventum oportunum nacti, velificationem mirifice promouerunt. Factum est autem, vt cum 23. die tormenta in Falcone Celoce nempe Selandica exonerarentur & disploderentur, tormentum in superiori nauis parte ad malum constitutum disruptum, famulum coqui trucidarit, & alteri cuidam brachium colliserit.

Præmeries Insulæ, & nuces Indicæ.

Die 24. ad Præmerias peruenerunt, quæ tres Insulæ sunt exiguo interuallo ab inuicem seiunctæ, desertæ plane & incultæ, nihilque præter Coquos, nuces nēpe Indicas, quas ad conficienda pocula nostri interdum adhibent, ferunt. Fructus sunt elegantes admodum & vtiles, cibū potumque hominibus præbentes. Arbores quibus crescunt proceræ sunt, ne vnicum quidem internodium ramumve ad verticem vsque & summum fastigium habentes, fastigia vero siue vertices ex coaceruatis multis foliis constant, quæ ad duas orgyas longa, & duas vlnas lata pellucida tamē sunt, & pulcherrimo ordine disposita, vsum chartæ siue papyri Indianis, qui stylo ferreo in illis scribere solent, præstantia. Inter media autem folia ista, prorumpunt ex arboribus nuces istæ, quæ nullo non tempore in illis reperiuntur, repullulantes nempe, crescentes, maturescentes, & quæ maturitatem perfectam iam sunt assecutæ. Crescunt autem in aceruos conglobatæ & vuarum instar accumulatæ, constantque fasciculi isti, vicenis, tricenis, & quadragenis sæpe nucibus, possuntque singulis mensibus tot maturæ nuces ab vna arbore decerpi. Arbor enim est præstantissima, similem aliam toto orbe, quoad commoditates quæ inde percipi possunt, non habens, reperiturque passim per vniuersam orientalem Indiam & regiones vicinas alias.

Vtilitates nucum Indicarum: quas Coquos vocant.

Vtilitates quæ ab arboribus istis percipiuntur, hæ sunt. Principio folia papyri vicem Indianis supplent. Deinde tegendis ædificiis, siue tuguriis adhibentur. Tertio funes etiam ex cortice arboris conficiuntur & ex superiori nucum putamine siue cortice Carbones parantur. Mulieres fila parant ex nucum filamentis, indeque linteamina texunt tam pulchra & preciosa, vt ex serico illa parata præstantissimo dicas. In exteriori putamine nux latet, quæ enucleata pollicis magnitudine est, dummodo ad maturitatem peruenerit, nucleus durus est & candidus, sapore vel Corylos nostros superans. Paratur vero ex nucleis istis etiam lac dulcissimum, quemadmodum in nostris regionibus ex Cannabe & papauere. Quin & oleum

oleum ex illis conficitur. Nux vero ipſa multo humore abundat, qui tantæ claritatis & dulcedinis eſt, vt vel vini hauſtu interdum præferatur, reperitur ſæpe in nuce vna, menſuræ noſtratis pars octaua. Tandem nux ipſa nucleo & humore omni euacuata, poculum hominibus ſuppeditat, arbores vero extruendis ædificiis ſiue tuguriis potius adhibentur.

Inſulæ hæ à promontorio ſeu Cabo San-Sebaſtiani centum & triginta miliaribus diſtant, eſtque inter continentem regionem & inſulas haſce diſtantia vix vnius quartæ partis mil. German.

Die 25. Senatu militari in naui Admirali congregato, decretum eſt, ad Inſulam Mozambiquen velificationem dirigere, & videre an caſtellum quod Luſitani ibi poſſident, expugnari & occupari poſſet. Itaque ſtatim omnia quæ ad obſidionem iſtam pertinere videbantur parari cœpta ſunt.

Perueniunt ad Inſulam Moſambiquen.

Die 26. tranquillitas erat per totum diem tanta, vt naues hinc inde iuxta littus continentis regionis, quæ Præto-Iohannis regio eſt, fluctuarent. Sequenti autem die cum ventum accepiſſent commodum, velificationem mirifice promouerunt, ita vt 28. ad Inſulam Mozambiquen venirent, vbi duas naues Luſitanicas cum Gallione ſiue triremi vna, exiguaque inſuper nauicula deprehenderunt, parua hac naui cũ Gallione quam proxime ſub caſtello, reliquis vero duabus inter continentem regionem, & Inſulam Mozambiquen hærentibus.

Cum igitur in portum ad Inſulam iſtam veniſſent, miſſiſq; in profundum anchoris, vela & carbaſa collegiſſent, facta in Admirali naui diſploſione, Senatus militaris vt conueniret, monitus, vexillumque militare in naui iſta expoſitum eſt. Conuentu igitur Senatus habito, decretum eſt, debere Celoces quatuor ſolutis anchoris, naues Luſitanicas occupatum excurrere, milites vero Amſtelrodamios cum Selandicis, Delphenſibus & Roterodamenſibus, & Seruitoribus quibuſdam nauticis, in terram exponendos eſſe, quemadmodum etiam mox cum ſex explicatis vexillis Scaphas ingreſſi ſunt, inque terram ab altera parte, vbi nullum caſtellum eſt, ſine vlla lucta deſcenderunt. Qui in Celocibus erant, leuatis ſtatim anchoris, pleno curſu iuxta caſtellum ad naues Luſitanicas cõtenderunt, Luſitanis ex caſtello multa in eas tormenta diſplodentibus, nihil tamen damni eis, niſi quod in Falcone Celoce capite aliquem truncarunt, inferentibus. Ex nauibus Luſitanis tormenta ſolum quinque in Hollandos diſploſa ſunt, abſque vllo damno, itaque Celoces duæ, Falco nempe & Gryphus, facto in maiorem nauim impetu, eam expugnarunt, ſed præter ſex Luſitanos & ſexaginta mancipia Æthiopica, neminem in ea inuenerunt, reliqui enim quorum ad ducentos fuiſſe dicebantur, metu nimio conſternati in terram clam deſcenderant, inque caſtellum confugerant. Erat autem nauis iſta, multis precioſiſſimis mercibus, pannis nempe ſericeis, laneis & linteis, Elephantorum item dentibus, oleo, vino, & aliis id genus probe admodum onuſta, itaque ab anchoris ſolutam ſecum abducere & ſuis coniungere Hollandi dicebantur, verum cum non longe à claſſe iam abeſſet, ab onere nimio in arenas conſedit, itaque exonerare eam merceſque in Celoces transferre coacti ſunt. Non poterant autem eo die nocte præuenti eam plane euacuare, ſequenti igitur die opus iterum aggreſſuri, ardere eam vndique viderunt, incerti omnino, vnde ignem concepiſſet, erant enim

Decretum de caſtello Mozambique oppugnando factum.

Naues Luſitanicæ duæ ab Hollandis expugnatæ.

qui à Lusitanis coniectum in eam nocte dicebant; alii ab incuria Hollandorum, scintillas aliquot vesperi in eam obiicientium, cum præsertim vino Hispanico inebriati fuissent, flammam concepisse, affirmabant, ipsi tamen nihilominus Scaphis aduecti pannos aliquot, Elephantorumque dentes, & ad ducenta oleo Lusitanico repleta dolia flammis eripuerunt, reliquis bonis omnibus vna cum naui in cineres conuersis, quod damnum quidem nō exiguum erat, cum vini adhuc præter bona alia, ad centum & quinquaginta dolia seu vasa ingentia, in naui fuerint. Quod vero ad Celoces duas reliquas, Arnoldum scilicet & Pauonem attinet, ex recta ad nauim alteram aduectæ, hominem in ea nullum, nec mercium quicquam præter ebenum lignum atrum repererunt, itaque lignorum parte aliqua ex ea assumpta, ad classem iterum reuersæ sunt.

Hollandi in oppidum Mozambique proficiscuntur.

Quod ad milites classiarios attinet, eorum cum adiunctis seruitoribus nauticis ad mille in terram expositi erant, nec tamen nauibus sua deerant præsidia. Erant autem in sex cohortes distributi, adiuncto eis Francisco Wittero Viceadmirali Duce. Steterant autem in acie per totam noctem, inuenerantque ad sexaginta Æthiopes, mancipia nempe Lusitanorum, hinc inde inter arbusta & fruteta latentes, sed de numero viribusque Lusitanorum in castello, certi nihil ab eis cognoscere poterant, itaque paruis waguriolis inclusi, asseruati sunt. Die *29.* antequam illuxisset, cohortes omnes ad oppidum Mozambique profecti sunt, neminem autem in eo, præter quinque vel sex Lusitanos cum pueris aliquot, & mulieribus siue vetulis Lusitanis tribus vel quatuor, offenderunt. Aderant præterea nigri seu Æthiopes trecenti vel amplius, mancipia nempe Lusitanica, & quinquaginta Turci qui à Lusitanis in naui illa flammis iam exusta, constitutis ante menses septem, vna cum nauigiis quibus Goam petere voluerant intercepti, & captiui Mozambiquen delati fuerant. Eos Hollandi omnes iam liberatos secum in classem traduxerunt, & postmodum, vt domum redire possent, ad terram Lusitanis non subiectam exposuerunt.

Oppidum Mozambique direptum.

Oppidum hoc ingens admodum est muris ædificiisque eleganter extructis constans, monasteria & templa duo habet, & vix ad Sclopeti ictum à castello distat. Mercatores & incolæ omnes cum vxoribus liberisque suis in castellum se abdiderant, tametsi autem preciosissima quæque secum asportarant; impossibile tamen fuerat, omnia tam breui tempore simul abducere. Itaque Hollandi multa adhuc bona in ædibus passim inuenerunt, vtpote vina Hispanica, oleum, gossypium, linteamina & vestimenta Lusitanica, ex quibus potissima ipsorum constat negotiatio, præterea corallos elegantes admodū & rubros, pecuniam item, torques aureas & alia id genus, quæ omnia in prædam versa sunt, maxima vini & potus alterius quem Araccam vocant, in terram diffractis doliis, cū milites eo ad furorem vsq; inebriarentur, copia profusa. Cum dies iam instaret, centum ex vniuerso numero selecti & palis, ligonibus ad extremum monasterium, ex opposito castelli situm, missi sunt, vt vineas ibi & munimentum aliquot excitarent, quo facto duæ statim cohortes militum eo traductæ & in aciem dispositæ sunt. Lusitani vero in castello etiamnum quiescebant, & tormentum nullum ad meridiem vsque disploserunt, tum vero fulminare magno feruore cœperunt, damni tamen nihil Hollandis, præterquam quod militem vnum, Christianum Widdium nomine, qui ex Dania oriundus in naui quam vnicam prouinciam vocant ve-

ctus

ctus fuerat, traiecto per caput globo plumbeo interfecerunt. Post meridiem Lusitani, ex castello erumpentes, bonorum aliquid, in fouea quadam absconditorum, allatum processerunt, verum cum Hollandos tanta copia adesse, & quatuor eorum cohortes sibi in occursum tendere viderent, conuerso statim itinere in castellum recesserunt, & tormēta plurima ex muro & propugnaculo in Hollandos exonerarunt, ita vt plurimi vulnerarentur, & præfecti militum duo, cum tribus gregariis militibus occumberent. Itaque Hollandi in munitionem suam, & constitutis ibi excubiis, in castra iterum reuersi sunt.

Postero die, qui 30. Iulii erat, in locum alterius præfecti quem à Lusitanis tormento percussum occubuisse diximus, Iohannes Verckius, ex cuius consignatione, nauigationem hanc modo describimus, substitutus est.

Iohannes Verckius in præfectum eligitur.

Primo Augusti die, cũ propugnacula duo castello obiecissent, dispositis in altero duob. tormentis, castellũ quatere circa vesperam cœperunt. Sequenti die nouam adhuc munitionem & vineam siue fossam, ad viginti quinque passus castello propiorem priori fecerunt, & plerosque Æthiopes seu Nigros quos in oppido deprehenderant Scaphis impositos ad continentē Præto Iohannis regionem traduxerunt, illisque libere ibi cum lætitia dimissis, tres Scaphas, malis aureis, medicis, citrinis & fructibus recentioribus aliis probe onustas ad naues reduxerunt. Die 3 Augusti, dispositis in propugnaculo altero quatuor tormentis castellum ab altera etiam parte, qua naues spectabat, quatere cœperunt, id agentes sedulo, vt parte aliqua muri disiecta & prostrata, aditum sibi ad castel um patefacerent. Reliqui verò qui in naui adhuc erant sequenti die Scaphas septem vel octo ad continentem regionem ablegarunt, magnamque inde pomorum aureorum, Medicorum, Citrinorum & Granatorum, Caprarum item & gallinarum copiam acquisiuerunt. Incolæ istius loci magno numero tum passim cum armis, quæ arcus & sagittæ, hastæque missiles sunt, conspiciendos se dederunt, impetum tamen in Hollandos facere non audebant, qui duos ex illis comprehensos secum abduxerunt, bene potos & cum Lusitanis per omnia facientes, quos deinde, cum nihil ex illis cognoscere possent, glande plumbea traiectos trucidarunt. Eodem hoc die duo adhuc tormenta mediocria ad monasterium exterius castello oppositum traduxerunt, nocte vero, nouam adhuc vineam quam proxime ad castellum, ita quidem, vt vix pedibus decem ab eo abesset, excitarunt.

Castellum Mozambique tormentis quatitur.

Septimo Augusti, Hollandi propter excubitorum incuriam à Lusitanis ex castello erumpentibus, ex vinea seu fossa altera eiecti sunt, sex eorum trucidatis, & multis quorum numerus sciri præcise nō potuit, vulneratis, verum cum viderent Hollandos conuerso itinere, locum amissum recuperatum redire, aduentum eorum expectandum minime censentes, in castellum reuersi sunt.

Hollandi à Lusitanis cæsi.

Die 8. decreuerant Hollandi sub noctem castellũ clam inuadere, ita quidē, vt excitato in vineis siue fossis tumultu, aliqui Petartum ad portam aquatilē admouerēt, & ea disiecta ingressum reliquis patefacerēt. Verum cum conatũ suum in actũ iam iam producturi essent, accidit, vt nauis ista Lusitanica quam ligno ebeno nigro oneratã supra diximus, accenderetur, ignorantibus, vnde flammam concepisset, omnibus. Hoc fortuito casu factum

factum eſt, vt conatus iſte impediretur, cum ab incendio iſto omnia paſſim colluſtrarentur. Tametſi vero ſperarent ſequenti conatum ſuum nocte in actum producere, nihil tamen tentare, Luſitanis paſſim lucernas caſtello, vnde omnia colluſtrarentur, noctibus ſingulis appendentibus & ignes hinc inde excitantibus, auſi ſunt.

Pagi aliquot in Mozambique vaſtati.

Die 10. Hollandorum ducenti cum decem Scaphis ad continentem regionem profecti ſunt, factaque excenſione ad quartæ miliaris dimidium progreſſi, pagos duos direptos vaſtarunt, hominibus quos ibi inuenerant omnibus interfectis, idque eam ob cauſam, quod cum Luſitanis facientes nihil vel fructuum vel cibariorum Hollandis concedere voluerant, id reſponſi eis ſubinde occinentes, debere eos caſtellum prius expugnare, hoc enim facto, omnia ſe eis communicaturos.

Verckius in humero percuſſus.

Die 11. Ioanni Verckio à Mareſchalco & Senatu militari iniunctum eſt, vt aſſumptis aliquot claſſiariis militibus ad caſtellum accedere, & quo loco ſuffoſſionibus & cuniculis illud tētari poſſet, explorare. Cum enim vidiſſent tormentorum diſploſionibus contra murum vallumque tam craſſum & amplum proficere ſeſe parum poſſe, alia ratione expugnationem tētare decreuerant. Verckius igitur dicto obediens, vna cum ſex militibus aliis, ſaluus quidem ad caſtellum acceſſit, cum vero loco omni quam optimè perluſtrato ad caſtra reditum pararet, ſphęrula plumbea ex Sclopeto in humerum ſiniſtrum percuſſus eſt, qui dolorem tamē omnem vocemque comprimens, cum in caſtra rediiſſet, obligato ſtatim vulnere in Scapham delatus, & ad naues dimiſſus eſt.

Nauigium commeatu vario onuſtum occupatur.

Die 13. nauigium aliquod, pecoribus, aqua potabili & rebus aliis neceſſariis oneratum in mari interceperunt, quod decem quidem Æthiopes ex continente regione, ad caſtellum traducere voluerant, quos Hollandi, cum reluctantes modis omnibus, in poteſtatem eorum concedere nequaquam vellent, omnes confoſſos trucidarunt, vi ſumma nauigium iſtud occupantes.

Tormenta à propugnaculis abducuntur.

Die 15. tormenta iterum ex propugnaculis & monaſterio noctu abducere, & Scaphis impoſita ad naues transferre cœperunt, videntes nimirum diſploſionibus nihil ſe proficere, ſubfoſſionibus vero & cuniculis tam breui tempore caſtellum expugnari non poſſe. Vltra enim octo vel decem dies moram ibi trahere amplius non licebat, idque propter ventorum oportunitatem, qui certo anni tempore flare iſtis in locis ſolent, illis enim ceſſantibus (& vero iam finis eorum præ foribus erat,) ad ſex vel ſeptem menſes ibi, cum nimis magno & nauium & Dominorum ad quos pertinebant incommodo, hærendum ipſis fuiſſet. Sciendum enim eſt ventos iſtis in locis certa ſua & ſtata per totum annum habere tempora, & propterea diligenter obſeruari oportere, hoc enim niſi fieret impoſſibile eſſet nauigationem iſtam Indicam perficere.

Miles quidā claſſiarius ad Luſitanos deficit.

Nocte autem iſta ex militum claſſiariorum numero quidam natione Heluetius, patria Baſileenſis, ab illis ad Luſitanos deficiens, in caſtellum tranſiit. Sequenti die nauis aliqua peregrina ipſis viſa eſt, quæ tamen ſimulatque Hollandos contra vidiſſet, conuerſa velificatione manus eorum effugere ſtatuit, tres igitur Celoces Hollandicæ, Arnoldus nempe, Pauo & Gryphius, leuatis anchoris ſummo eam conatu, quemadmodum nauis etiam oneraria, quam ruffum leonem vocant, perſecutæ ſunt. Eodem die Hollandi cum ſex illis Luſitanis, quos in nauium accenſarum altera, (vt ſupra dictum) ceperant, & hactenus in nauibus ſuis captiuos detinue-

detinuerant, ad castellū profecti, vt facta permutatione eos pro profugo isto milite reciperent, petierunt. Cumque non facturos se istud aperte testarentur, simulque vnicum istum profugum chariorem sibi quam mille ex suis afferentes, licere ipsis quicquid vellent de eis statuere, dicerent, inspicientibus ex castello Lusitanis; globis eos plumbeis transfactos occiderunt.

Obsidionem castelli in Mozambique Hollandi soluunt.

Die 18. solutis castris, cum adhuc vnus ex militum numero natione Brabantus, patria Antuerpianus, ad Lusitanos defecisset, naues iterum conscenderunt, oppido prius & monasterio vtroque accensis & in cineres redactis. Amiserant vero ex suis in hac Insula, ad quadraginta qui occubuerant, & vulneratorum ad centum numerabantur. Sed in naui Admiralia duo tantum desiderabantur; Christianus nempe Widdius, natione Danus, & Gedronius Grillefallius; Præfecti San Andreæ filius, de quo tamen certi aliquid, vtrum nempe à Lusitanis interfectus, vel captiuus abductus fuisset, sciri non potuit.

Monasterium quoddam & oppidum Lusitanicum ab Admirali exustum.

Die 19. nauibus, recenti aqua & lignis, à continenti regione allatis, prospexerunt. Interim vero nauis cui ruffo Leoni cum sagittis nomen ad classem reuersa est. Celoces enim ob cursus velocitatem assequi non poterat, quas sequenti die vna cum peregrina ista, de qua paulo ante diximus, naui, in mare procul aduentantes viderunt. Eodem die Admiralis ipse cum centum plus minus militibus ad Insulam aliam, non procul à Mozambique distantem, vectus erat, pagumque ibi quendam, cum pertinente ad Lusitanos Monasterio accenderat; & plane deuastarat, multis malorum aureorum & citrinorum arboribus succisis.

Nauis Lusitanica Bon-Iesus nomine ab Hollandis expugnata.

Die 21. Augusti, Celoces istę quarum paulo ante mentionē fecimus, peregrinam secū nauim ducentes ad classem aduenerunt, vbi qualis illa nauis esset, primum ipsis innotuit. Sciendum igitur est, classem hoc anno sub Aprilis initium Vlyssapona Lusitaniæ ablegatam fuisse, Gallionibus siue triremibus bellicis nouem & quinque nauibus magnis aliis constantem, vt Goam versus & in Orientalem Indiam penetraret. Ad classem istam hæc etiam nauis Bon-Iesus nomine, pertinebat, quæ circa Canarias Insulas ventorum & procellarum vi, à classe distracta, in Hollandorum iam potestatem, post ingentem nouem horarum pugnam, peruenerat. Inuenerant autem in ea Hollandi centum adhuc & quadraginta milites, de centum & nonaginta, (tot enim cum Vlyssapona soluissent numerati dicebantur) superstites, valentes partim, partim morbo correptos, Hollandi simulatque naui potiti fuissent, eos ad Celoces suas traduxerant, & ex suis aliquos in nauim istam miserant; qui eam cum Celocibus ad classem traducerent.

Mozambiques Insulæ descriptio.

Quod porro iam Mozambiquen Insulam attinet, ea à Cabo seu promontorio San Sebastiani, centū & quinquaginta septem, ab Insulis Præmeriis vero tantum viginti septem miliaribus distat. Insula alias pulchra admodum & fertilis est, multis, Coquos siue nuces Indicas, mala aurea, Granata & oliuas ferentibus arboribus consita, in circuitu ad dimidium miliare Germanicum continet, & quamuis hodie à Lusitanis habitetur, Præto Iohannem tamen dominium agnoscit, & à continente eius regione vix vno atque altero sclopeti iactu distat. Incolæ eius, colore sunt fuligineo siue atro & piceo, statura breui, & capillis crispis, vellera detonsarum apud nos nuper ouium, æmulantibus. Mulieres præ cæteris breues admodum sunt, reperiunturque quæ liberos iam decem vel duodecim

annos natos habent, quas vix ipsa decimum vel duodecimum attigisse ætatis annum putes. Apta sunt membrorum dispositione, nisi nigredo gratiam ipsis auferret, quamuis vaccas omnes nocte nigras esse prouerbio vulgo iactetur. Omnes tam viri quam mulieres nudis corporibus incedunt, linteamine tamen exiguo ex gossypio vel cæruleo vel albo contexto pudendis obuelato. Ornatus eorum quo vtuntur, sunt circuli ex globulis vitreis albi, rubri, viridis & cærulei coloris varie inuicem permixtis constantes, quos collo ter quaterve circumdant, brachiis vero ad decem, duodecim & amplius circulos siue annulos cupreos vel stanneos, digitum crassos, indutos & vi tanta impactos habent, vt exuere eos, nisi secentur vel disrumpantur, non possint. Auriculas plerique omnes multis foraminibus pertusas & perforatas habent iisque frustula aliquot cupri vel aurichalci inserunt atque appendunt. Præterea non pauci inter eos tam viri quam fœminæ reperiebantur, qui multis fissuris & puncturis cutem suam tam in anteriori quam posteriore corporis parte instar vestimenti varie dissecti, deformarant, habebanturque pulchriores quo pluribus eiusmodi fissuris in manibus totoq; corpore deformati apparerent. Hollandi multos etiam Anthropophagos ibi reperiebant, qui quidem præ cæteris agnitu admodum faciles sunt, dentes scilicet habentes oblongos & instar subulæ acutos, sed & sub labiis foramen habent, tantæ magnitudinis, vt inserere digitum in illud facile possis, vultu plerunque ferino & truculento admodum præditi.

Numerus miliarium ab Ile de Maio ad Mozambiquen Insulam ad 2257. computatur.

Die 22. Augusti leuatis anchoris velificationem versus littus Goæ direxerunt, Lusitanis prius quos in naui Bon-Iesus ceperant ad Insulam quandam è regione Mozambiques sitam, expositis, & aqua panibusque ad duos dies instructis. Præfecto tamen & nauarcho, cum mercatore & scriba, secum retentis & abductis.

Perueniunt ad Cucumeres Insulam.

Die 25. Augusti peruenerunt ad Cucumeres Insulam pulchram admodum & fertilem, à Mozambique octoginta miliaribus distantem. Insula ea diues est pecorum, incolas habens Ethicos plane, & nudo corpore incedentes. Possunt autem ibi omnis generis cibaria, vt pote boues, oues, mala aurea, Lemonia, Medica, & alia ad commeatum pertinentia pro exiguo pretio, permutatis nempe globulis vitreis, cochlearibus, cultellis, & aliis id genus, acquiri.

Tormentum aliquod disruptum damni plurimum facit.

Vltimo Augusti puer quidam in naui Admiralia Iohannes nomine Mercatori supremo sanguine iunctus, mortuus est, quem sequenti die, 1. nempe Septemb. horam circiter octauam matutinam, in mare demissum sepelierunt.

Accidit autem, vt displosum more veteri & recepto, tormentum aliquod, iuxta malum in superiori nauis parte constitutum, disrumperetur, & damni quamplurimũ astantibus daret. Principio enim Constabilis famulo, Christophoro nomine, patria Amstelrodamẽsi, duodecimũ ætatis annum agenti occiput abripuit, ita, vt cerebrum capite effluens, in naui passim dispergeretur. Deinde tormentariorum magistro, Adolpho nomine, natione Hamburgensi latus alterum ita cõminuit, vt interiora corporis omnia paterent, crure insuper vtroq; pe fracto, vnde post quartam horæ partem, vna cũ priori illo vita functus est: Tertio, Seruitori cuidam nautico, Petro nomine, patria Dantiscano, costas aliquot perfregit, qui spiri-

ſpiritum adhuc ad horæ dimidium traxit. Quarto, ſeruitori cuidam nautico alteri, nomine Henrico, patria Lubecenſi ſpinam dorſi cum vtroque femore comminuit, qui ad tres tamen horas ſuperuixit. Quinto, ſeruitori adhuc nautico alii, Hermanno Hermanni nomine, patria Embdano crus vtrumque perfregit, qui dolores inde donec moreretur ad tertium vſq; diem grauiſſimos pertulit. Sexto tormentorum adhuc magiſtro alii, Leonhardo nomine, patria Amſtelrodamenſi, crus vtrumque, alterum in femore, alterum ad talos perfregit. Et hic quidem fuit qui tormentum illud accendit, verum diſruptio non ipſi, ſed alii cuidam qui priori die tormẽtum iſtud puluere nimio onerarat, imputata eſt. Et quidem hic Leonhardus ſanitati iterum reſtitutus & in viuis conſeruatus fuit. Septimo miniſtro cuidam nautico, Petro Bauchio, patria Dantiſcano femur dextrum perfregit. Octauo Nauarchi famulo, Iohanni nomine, patria Lubecenſi, brachium ſiniſtrum duobus locis perfregit. Nono Conſtabili, nomine Simoni Nicolao, patria Amſtelrodamenſi brachium ſiniſtrum confregit, qui tamen cum poſterioribus duobus ſanitati reſtituti ſunt, & poſt ſeptimanas aliquot conualuerunt. Itaque defunctus iſte adoleſcens, infelici plane ſidere in mare demiſſus fuerat, cum quinque adhuc alios ſaluos etiamnum & incolumes, ſecum traxerit, quatuor reliquis ægre admodum à morte conſeruatis.

Lineam Æquinoctialem ſecundo iam traiiciunt.

Die 2. Septemb. lineam Æquinoctialem, ſecunda iam vice in plaga ſeptentrionali traiecerunt, cum eam antea in plaga meridionali ſuperaſſent. Die 4. mare rubrum prænauigarunt, aqua ibi turbida admodum exiſtente, & inſtar ſeri lactis, quod à caſeorum compreſſione ſupereſt, albeſcente.

Perueniunt ad littus Goæ.

Die 18. littus Goæ legerunt, & circa veſperam portum cum vniuerſa claſſe ingreſſi, anchoras in mare abiecerunt. Eſt autem Goa, pulchra admodum & magna ciuitas, ab Inſula quam Cucumeres vocant, ducentis & octoginta miliarib. diſtans, & ad dulcis aquæ fluuium, quatuor plus minus miliaribus à portu, vbi naues ſuas anchoris firmarant, diſtantem, in ſolo elegantiſſimo fundata & extructa. Eo autem loco quo fluuius iſte in mare ſe exonerat, & vbi naues ad vrbem profecturæ fluuium iſtum ingredi oportet, duo fortiſſima caſtella excitata ſunt, monaſterio itidem pulcherrimo è regione alterius caſtelli in monte quodam extructo. Sed & tria alia ad ripam fluminis iſtius, antequam ad Goam vrbem peruenias caſtella munita admodum & pulchra cernuntur, vt ad vrbem nauibus ſuis pertingere impoſſibile videretur. Cæterum in vrbe iſta negotiationes maximæ exercentur, quotidie enim ex India & longinquis locis aliis naues ad eam plurimæ appellunt, mercimonia varia ibi exercentes. Sed & Veneti mercaturam ibi agunt, & cum mercatoribus, qui ſingulis annis bis Venetias cum magno comitatu terra iter faciunt, ad vrbem iſtam peruenire quis ſine magno ſumptu facile poteſt. Reperiuntur in ciuitate iſta omnium fere totius orbis nationum populi, quamuis Luſitanos dominos agnoſcat, qui ad ſex miliaria omnia in poteſtate & iuriſdictione ſua poſſident, eo quem Viceregem per Luſitaniam vocant, ſedem ſuam in vrbe iſta obtinente. Quod ſi tamen ſine caſtellis iſtis fortiſſimis & munitiſſimis eſſet, & vrbs Goa, quæ veteribus Epheſus dicta fuit, non ipſamet etiam tam firma & munita exiſteret, imperium forte iam non amplius Luſitani ibi obtinerent, Guſaratæ enim, quorum regio duodecim inde miliaribus abeſt & Æthiopes vix miliaribus ſex ab vrbe diſſiti, Vatiniano eos

Goa ciuitas Epheſus veteribus dicta fuit.

odio proſequuntur, bellaque perpetua cum Luſitanis gerunt, tyrannide nempe & facinoribus eorum, aliquo modo iam cognitis & perſpectis.

Naues quædam, Luſitanicas naues quæſitum ablegantur.

Die *21.* quatuor Æthiopes ſcapha aduecti literas à præfecto ſuo ad Admiralem attulerunt, quibus ſignificabatur, ingentem nauem Luſitanicam non procul inde ſubſiſtere. Decretum igitur à Senatu militari eſt, tres Celoces eo mittendas eſſe, quemadmodum etiam ſtatim Arnoldus, Pauo & Gryphus Celoces leuatis anchoris ſuis itineri ſeſe accinxerunt. Sequenti die viſum eſt Admirali & Senatui militari, quatuor naues cum vna Celoce Calicuthum verſus præmittere, vt viderent nunquid naues aliquæ Luſitanicæ ibi forte hærerent, electæque ſunt Mittelburgum, qua Viceadmiralis vehebatur, Roterodamum, Cornu & Leo ruffus Sagittifer naues, cum Falcone Celoce, quibus id negotii committeretur, quæ omnes eodem adhuc die leuatis anchoris ſuis, mari ſeſe commiſerunt.

Admiralis ex ſua naui in aliam tranſit.

Poſt earum diſceſſum Admiralis ex vnita prouincia naui, qua hactenus vectus fuerat, in nauim Hollandiam quod hæc magnitudine multo illam ſuperaret, tranſit. Die autem *23.* nauem iſtam Luſitanicam Bon Ieſus dictam, quam tres Celoces ad Mozambiquen interceperant, exonerare, merceſque inde ad ſuas naues transferre cœperunt, quod ea vitium contraxiſſet, & tantum aquæ ſorberet, vt ei exhauriendæ vix ſufficerent.

Die *25.* Celoces tres quas nauem Luſitanicam oppugnatum miſſas diximus, ad claſſem iterum reuerſæ, Luſitanos retulerunt, vt vidiſſent ſeſe aduentare, diſſectis anchoris, ad vallum ſiue littus remis velis contendiſſe ibiq; Luſitanica quædam nauigia minora, ex Goa eo miſſa hærentia populum omnem cum pecunia & precioſiſſimis quibuſq; mercibus ſumma feſtinatione inde ereptum in terram detuliſſe, naui iſta maiori igne accenſa, vt ita ea maxima parte antequam aduenirſſent conflagrarit, & ipſi non multum inde acquirere potuerint. Erat hæc itidem vna ex quinque illis ingentibus Olyſſipone hoc anno ablegatis nauibus, & præter merces alias bis mille dolia vino Hiſpanico optimo repleta deuexerat, quæ omnia flammis correpta cum vino perierunt.

Nauis Luſitanica Bon Ieſus nomine in profundũ mergitur.

Die *26.* Arnoldum Celocem ad littus Coromandelium ablegarunt, vt mercatorem primarium ex Cornu naui, vna cum ſex miniſtris nauticis & quatuor ſociis mercatoribus Beagalam, (vbi mercatores Hollandi ſubſiſtentes magna commercia veſtimentorum & aliarum mercium exercent,) deueheret. Nauis autem Luſitanica, Bon Ieſus nomine, & bonis & tormentis omnibus iam exonerata & euacuata, crebris foraminibus perforata fuit, vt aquis repleta in profundum mergeretur.

Ex littore Goæ diſcedunt.

Die *27.* Æthiopes quidam ſcapha aduecti nuncium Hollandis, de nauibus aliquot Luſitanicis ad triginta circiter miliaria, inde remotis attulerunt, itaq; Admirali & Senatui militari vtile viſum fuit, leuatis anchoris eas indagare, quod etiam circa veſperam quinque nauibus maioribus & duabus Celocibus, quæ ibi congregatæ adhuc fuerant, fecerunt. Eodem die etiam Turcas & Guſaratas, quos in oppido Mozambique, (vt ſupra dictum eſt) deprehenderant & ad naues ſuas receperant, in terram expoſuerunt, cum eo loco ſe iam non procul à patria ſua abeſſe, dixiſſent.

Incolarum Goæ deſcriptio.

Toto illo tempore quo in littore ad Goam ſubſtiterant, Indiani ad eos magno numero confluxerunt fructus varios & alia ad neceſſitatem & ſuſten-

ſuſtentationem pertinentia ipſis afferentes, qui tamen pecuniæ ſatis pro cibariis iſtis expetere nouerant. Homines alioqui ſunt apta corporis & membrorum omnium diſpoſitione præſtantes, magnitudine & ſtatura Germanos æquantes, & colore fuſco ſubrubidoque præditi. Nudi per omnia incedunt, niſi quod tenui linteolo præcincti pudenda paululum contegunt, & caput linteamine vel candido, vel verſicolore Turcarum inſtar obuelant. In more poſitum habent, vt vxorem ducentes, virginitatem ei non eripiant, nec virginem eam cognoſcant, in templis enim ſuis idolũ ſiue ſtatuã ex ære fuſam vel ex alia quacunq; materia factam habent, membro virili, inſtar Priapi præditam, cum igitur dicta iam nuptiis dies adeſt, Sponſa ab amicis & cognatis ab vtraq; parte proximis in templum ducitur & coram idolo iſto ſiſtitur, quæ velo ſiue linteolo à pudendis remoto amplecti idolum iſtud veluti ſponſum ſuum arctiſſime cogitur, & tum ad idolum iſtud corpore impellitur adeoque comprimitur, vt cornu iſto in pudenda vi ſumma adacto, apta poſtmodum ad coitum virilẽ reddatur, aſtantibus interim alta voce canentibus & tripudiantibus, ne eiulatus ſponſæ exaudiatur. Hoc facto poſtmodum ad ſponſum cum multo inſtrumentorum variorum clangore & cantantium ſtrepitu adducitur, qui eam lætus accipit, & honori laudique ſibi ducit, ſponſam ſuam ab idolo iſto compreſſam & virginitate orbatam eſſe.

Goam oppidum præteruehuntur.

Primo Octob. cum ad quindecim miliaria à Goa ciuitate, Mozambiquen verſus regreſſi eſſent, quam proxime ad littus ſeſe ſubmittentes anchoras in profundum miſerunt, idque eam ob cauſam, quod aduerſo fluctu, ventoque contrario progredi non poſſent, ſed & recentis aquæ penuria compulſi, de ea acquirenda curam ſuſcipere cogebantur. Sequenti vero die leuatis iterum anchoris Goam verſus velificationem fecerunt, moxque nocte iſta vrbem & caſtellum vbi antea ſubſtiterant preteruecti, curſum ſuum ad littus Malebaræ direxerunt, ab Æthiopibus qui ſcaphis aduecti eos acceſſerant, piſces, gallinas, Bananas, Batatas, Cucumeres & Oryzam iam coctam præſenti pecunia redimentes.

Mores hominum ad miliaria aliquot infra Goam habitãtium.

Homines qui in littore iſto habitant, nigriores ſunt paulo, & craſſioribus membris quam illi qui ad tria vel quatuor miliaria prope Goam oppidum habitant, verum ſuperſtitionibus, moribus & cultu alio ſibi inuicem omnes fere ſimiles ſunt, nudi itidem, vt illi, incedunt, pudendis ſolum exceptis, quæ tenui linteolo contegunt, in digitis cupreos plerunq; annulos geſtant, & barbam inferiorem, quemadmodum etiam capillum vndique abradunt, manipulo ſolum exiguo in vertice capitis relicto, qui vero iuuenes adhuc ſunt circa frontem etiam cæſariem geſtant, manipulumque iſtum in vertice, vt Chinenſes, conuoluunt, & annulo vel cupreo vel eburneo collectum exornant.

Perueniunt ad oppidum Cananor.

Die 5. ad littus Malabaræ venientes, non procul ab oppido Cananore ſub monte Delio ſubſtiterunt, vt ibi ſe reficerent & recẽtem aquam, cuius penuria magna laborabant, conueherent. Sequenti igitur biduo ſtrenue admodum in opere fuerunt, vt aqua recenti dolia ſua explerent. Cogebantur autem eam à populis ibi habitantibus magno precio redimere, militibus interea in excubiis, ne forte ab aliis in opere opprimerentur, conſtitutis.

Regionis & ciuitatis Cananoris deſcriptio.

Regio hæc & oppidum Cananor 70. miliaribus à Goa oppido diſtat, vulgoq; pars Palæſtinæ putatur, Cananitis olim inhabitata, regno Perſico finitima eſt, quemadmodum etiam quotidie multi mercatores ex Perſia

eo cõfluunt. Eſt autem Cananor oppidum ingens admodum, tantæq; capacitatis, vt tria & amplius miliaria ambitu ſub complectatur. Regio ipſa populoſa eſt & admodum fertilis, profert enim oryzam magna copia & Mayſam, quod frumenti genus rotũda grana habet & ab aliquibus Mannæ aſſimilatur, quam Deus populo Iſraelitico in deſerto cœlitus ſuppeditauit. Conteritur autem frumentum hoc ab incolis, & in farinam redigitur, ex qua deinde admixto melle & oleo panes cõficiuntur, nec panem regio iſta alium vllum agnoſcit. Sacchari alioquin, Piperis item, Zingiberis, Cardamomi, Caſſiæ & Ambræ prouentus ibi ſatis magnus eſt, & Ambra quidem vili precio emitur. Sed & fructus pulcherrimos alios vtpote Bananas, Batatas, mala aurea, Limonia, nuces Indicas & alios, quorum Germanis incognita nomina ſunt, magna copia ſuppeditat. Melle abundat plurimo, repeꝛiunturque in terra iſta leones, Tygrides, Pantheræ, Elephanti, Bubali & alia nobis ignota animalia, nec deſunt Pſittaci & varia volucrum genera, gallinæ item exiguo precio venales habentur.

Populorum in Regione Cananor habitantium deſcriptio.

Homines ibi habitantes eximia ſunt & decenti membrorum diſpoſitione præditi, colore ſpadiceo, quantitate & robore præſtantes. Vidiſſe enim ſe ibi nõ paucos Hollandi aſſerunt, capitis totius magnitudine maximum ex ſuis ſuperantes, membriſque tam robuſtis & craſſis præd tos, vt formidini & terrori multis eſſent. Non tamen omnes eius ſtaturæ ſunt. Neque enim plures quam decem Hollandis viſi. Capillos noſtro plane more raſos geſtant. Nobiles & proceres alii perforatas habent magnis foraminibus auriculas, & ab illis annulos quatuordecim vel quindecim aureos, eiuſdem qua nos eos in digitis geſtamus magnitudinis, vel maioris etiam, dependentes multiſq; precioſiſſimis gemmis cõſpicuos geſtant. Nudi plerique omnes incedunt, & pudenda faſcia ſiue linteolo goſſypino vel candido vel verſicolore contegunt. Armis egregie admodum vti ſciunt. Suntque ea clypei rotundi vel ex ligno fabrefacti, vel ex viminibus & arundinibus artificioſe contexti, pulchri ſunt & perpoliti, cera Hiſpanica nigra vel rubra infuſi & leuigati, quæ quidem tanta eſt duritie & leuitate, vt ex ferro clypeos iſtos conſtare haud immerito diceres. Præter clypeos autem iſtos, gladios etiam & acinaces habent, itemque arcus & ſagittas egregie expolitas, quidam haſtis vtuntur varie coloratis. Aliqui præter cultros, arma nulla agnoſcunt, ſed eos oblongos & inſtar falcis meſſoriæ incuruatos.

Ius miniſtrorum & ſatellitum regiorum in Cananor.

Nobiles & primates huius Regionis multos habēt ſatellites, qui armati eos aſſidue comitantur & ſequuntur. Faciem & anteriorem corporis totius partem calce ex Sandalio ligno parata oblinunt, & pectoris medio manſa aliquot Beteles folia affigunt, quæ quaſi ſigilli alicuius impreſſi formam referunt. Primarii eorum miniſtri murino colore faciem inficiunt. Quod verò ad miniſtros ſiue ſatellites Regios quorum ad quadraginta millia numerantur, attinet, illis propriam habere vxorem nequaquam licet, ne tamen quid ipſis hac in parte deſit, hoc priuilegio & iure fruuntur, vt in quocunque oppido vel pago morentur, ad ædes cuiuſcunque vel ciuis vel agricolæ, pro libitu diuertere, & aliquid armorum ſuorum ibi deponere poſſint, donec abeant & commiſſum ſibi munus regium expediant. Ædes autem ingreſſi vel vxorem vel filiam vel ancillam pro libitu ſuo accerſunt, eique arma ſua aſſeruanda tradunt, quæ poſtmodum domo egredi non audet, ſed cogitur reditum ſatellitis iſtius expectare & ſe ad coitum vbi reuerſus fuerit, parare, idque abſque vlla tergiuerſa-

uerſatione, ita vt ne maritus quidem vel parens hiſcere contra ſub pœna maxima audeat, quemadmodum id Hollandi non ſemel viderunt & experti ſunt.

Mulieres eius loci lurido colore ſunt, Tartaros, qui incertis ſedibus hinc inde oberrant & vagantur æmulantes, ſupparum ex vmbilico ad genua vſque vel ex goſſypio cæruleo colore infecto, vel ex nucum Indicarum filamentis contextum demittunt, & tunicam manicatam ex eadem materia conſtantem induunt, Capillum habent, vt noſtræ mulieres longum, ſed omnino atrum & piceum, conuoluunt vero eum, & in cuneum circa ceruicem contorquent, apertis capitibus omnes tam mulieres quam puellæ incedentes, & caput haudquaquam tegentes. Primariæ quæque fœminæ catenulas à collo & brachiis aureas ſuſpendunt, eaſque multo appenſo auro condecorant. Præterea omnes tam diuites quam pauperes, tam adultiores quam iuniores auriculas habent tantæ capacitatis foraminibus pertuſas, vt quatuor vel quinque ſimul digitos admittant, illiſque quæ præſtantiores ſunt, annulos precioſos, & auri particulas inſerunt. Aliæ aures multis foraminibus perforatas, & multo auro condecoratas habent, pauperes vero & ruſticæ mulieres conuolutos ex ſtramine & viminibus annulos ab auriculis dependentes geſtant. De aliis gentis iſtius moribus deque ornatu corporis vario, plura hic annotare nimis longum foret. Suppeditat autem Regio iſta multos etiam precioſos lapides, vtpote Pyropos, Sapphiros, Smaragdos, & gemmas alias; itemque lapidem Bezoar & alia.

Calicuthum perueniunt.

Die 8. Octob. leuatis anchoris velificationem Calicuthum verſus fecerunt, quo etiam ſequenti die peruenerunt, cum decem non amplius miliaribus ab oppido Cananore diſtet, poſtquam autem portum ingreſſi eſſent rubrum leonem Sagittiferum, nauem ſcilicet ſuam, quæ 21. Sept. die vna cum quatuor aliis, ex claſſe abierat, inuenerunt.

Admiralis ad Imperatorem Calicuthensem proficiſcitur.

Decimo Octob. incolarum plurimi multis canois ſiue nauigiis aduecti, fructus ipſis & cibaria varia, itemque gemmas & res alias attulerũt. Inter alios autem venerunt ad eos magni Imperatoris legati, qui Admiralem ſalutarunt, & ab eo vt ſequenti die ad Imperatorem ſuum in vrbem veniret expetierunt, qui 11. Octob. cum militaribus conſiliariis in terram deſcendit, & ducentis plus minus armatis claſſiariis ſtipatus in aulam Imperatoris profectus eſt.

Calicuthenſis regionis & vrbis deſcriptio.

Regio hæc Calicuthenſis, terram habet bonam & variorũ fructuum aromatumque feracem, profert autem maxime ingentem piperis, Zingiberis, Sacchari & Cardamomi copiam, ſuppeditat item varia pſittacorum & cercopithecorum genera, quorum tanta ibi affluentia eſt, vt vel pſittacorum vel cercopithecorum pulcherrimum quadrante Imperialis emere poſſis. Habentur ibi præterea multi apri, cerui, Elephãtes, & feræ nobis incognitæ aliæ. Quod ad vrbem Calicuthum attinet in qua Imperator ſedẽ ſuam habet, ea magnitudine ſua ad vndecim miliaria cõplectitur, eſtq; emporium tam celebre & populoſum, vt vix in toto mundo, frequentius reperiatur. Cõfluunt enim eo quotidie ex lõge diſſitis regionib. vtpote ex Cambeia, Chayro, Alexandria, Perſia, Arabia, Mecha, Turcia, Babylonia, &c. mercatores plurimi, qui cõmercia exercent in auro, argẽto, gemmis, Moſcho, Ambra, ligno Aloes, Braſilienſi, Rhabarbara, Thure, Charyophyllis, Cinamomo, nucib. myriſticis, foliis nucũ myriſticarũ, quæ ex Bãda Inſula eo transferũtur, ſed & croci, piperis, zingiberis, Benzui, ceræ

Hiſpa-

Hiſpanicæ, Gummi, ligni Sandalii, albi & flaui, Cappararũ, Spicæ, Oppii, Aluminis, Coralliorum, Mirabolani, Tamarindi, Caſſiæ fiſtulæ, Serici, panni Sericei, Elephantorum, & Pſittacorum magna ibi commercia peraguntur.

Elephanti tormenta ænea geſtant.

Elephas equidem animal eſt ingens admodum & formidabile, ita, vt maius & formidabilius vix Hollandis vllum viſum ſit, ſed tantæ prudentiæ, fortitudinis, & roboris eſt, vt comparari cum nulla fera alia poſſit, intelligit enim & facit omnia, quæ à Curatore ſuo ei imperantur. Viderunt Hollandi quod Imperator duos ex maximis ſuis Elephantib. ad littus maris mitteret, duo tormenta ænea, quæ ei ab Admirali, vna cum aliis precioſiorib. rebus Mauritii Naſſouii nomine donata erant, inde ad aulam ſuam, ingẽtis miliaris itinere, allatum. Cum vero Hollandi Scapham qua in terram tormenta iſta ex nauibus vehebant, ad littus, propter ponderis grauitatem nimiam (Continebant enim ſingula libras bis mille & quingentas,) propellere non commode poſſent, Curator Elephanti alterius, feram allocutus eſt, quæ aquam ingreſſa adniti mole corporis non deſtitit, donec ad littus ſcapham quam proxime per arenas & breuia protruderet. Erat autem tormento vnicuique funis craſſus admodum alligatus. Cum igitur in littore ſcapha iam ſubſiſteret, Curatorum quilibet feram ſuam compellauit, quæ accedentes ſtatim, funes iſtos proboſcide apprehenſos dentibus inuoluerunt, ſublataque humo tormenta ad aulam vſque Imperatoris tanta facilitate, vt vix ferre aliquid viderentur, deportarunt, cumque in aulam eam veniſſent, tormenta ad pedes Admiralis depoſuerunt, & Imperatori quem forte in ſublimiori loco viderant, honorem, ter in genua procidentes exhibuerunt.

Regis Calicuthenſis deſcriptio.

Quod ad Imperatorem Calicuthenſem attinet, ſciendum eſt, eum potentiſſimum Monarcham eſſe, multis regnis & regionibus imperantem. Subiectos enim ſibi centum & amplius Reges habet, & breui tempore vltra decies centena millia armatorum in aciem producere poteſt. Bella aſſidua & perpetua gerit cum Perſis, Syris & Medis aliiſque vicinis regionibus, ſed & cum Luſitanis bella gerit, qui aliquot oppida ditioni eius ſubtracta, ope quorundam Regum qui & ipſi tamen ad imperium eius pertinent, & bellum tamen contra eum gerunt freti poſſident. In honore alioquin apud ſuos eſt maximo, quam primum enim nobilibus & potentioribus vel eminus ſaltem cernitur, caput ipſi inclinant, manus complicatas ter eleuant & in genua incuruato capite procidunt. Hollandi vbi cum Admirali ſuo ad aulam eius veniſſent, centenis aliquot procerum & nobilium ſuorum eum ſtipatum deprehenderunt, qui ſalutatus ab Admirali Hollandos amice admodum inclinato ipſis nonnihil capite & vultu hilari & periucundo excepit, apprehenſumque manu Admiralem in palatium ſecum abduxit, vbi aliquandiu commorati manſerunt. Poſtea cum multis vxoribus ſuis ex Palatio ſuo iterum egreſſus, in circuitu ſubſtitit, vt ab omnibus cõmode videri potuerit, quemadmodum etiam paulo poſt iterum inde deſcendit; & Hollandos accedens, multas inter eos confectiones aromaticas quas vxores & nobiles eius ingentibus patinis aſportarant, propriis manibus diſtribuit. Quod ad ornatum eius attinet, ſciendum eſt, eum toto corpore à vertice ad plantas vſq; pedũm nudum inceſſiſſe, niſi quod parte intermedia ſupparo ſiue linteolo candido & ad latera colorato, ab vmbilico ad genua vſque propendente, præcinctus eſſet, in anteriori corporis parte, facieque tota colore fuluo ex Sandalio

ligno

ligno & herbis quibusdam aliis parato infectus erat. Cingulis in corpore quinque, vno rotundo, reliquis palmum latis circumdatus erat, quæ multis vndiq; gemmis rigebant, numerabanturque maxime in vno ducenti & amplius Rubini, fabas magnitudine æquantes, in quorum medio carbunculus magnitudine vnguis in pollice radiabat atque fulgebat. In dextro brachio quatuordecim gestabat armillas aureas, singulas duos digitos latas, vt totum fere brachium occuparent, multis itidem gemmis nitentes, cogebaturque semper ei aliquis ex proceribus adsistere, qui brachium nimio pondere grauatum leuaret. Sinistro autem brachio, vt & cruri sinistro duas tantum induerat armillas, duos ferme digitos crassos, & gemmis plurimis nitentes, digitis autem vtriusq; manus annulos aureos gemmis & vnionibus exornatos plurimos induerat. Auriculas à nimio auri & gemmarum pondere vsque adeo habebat distentas, & pr tractas, vt ad humeros vsque propenderent & axillis imminerent, rigebant enim multo auro & gemmis, eratque in medio insertus cuneus ex multis gemmis & vnionibus Orientalibus conglomeratus, quarum aliquæ tanta magnitudine erant, vt globulos lusorios quibus pueri apud nos ludentes vtuntur, ferme æquarent. Barbam habebat canis capillis intermistam & nonnihil prætonsam, in capite vero capillum gestabat oblongum & nodo in vertice colligatum, qui fascia, auro gemmisque & margaritis nitente, circumdatus & inuolutus erat, tanti precii, vt æstimationem omnem effugeret. Coram eo nobilium semper aliquis stabat poculum aureum in quem expuere forte volens, sputum mitteret, manibus tenens. Statura erat satis procera, & dentes in ore piceos habebat, quod quidem in omnibus fere populis istis cernitur, qui nigredinem ex perpetua Beteles, quæ folia sunt palmum & amplius lata, mansione contrahunt, & quo quis dētes nigriores habet, eo maiori eum honore dignum iudicant.

Muliebres in Calicuthiā ornatus.

Quod ad nobiles, cōsiliarios, aulicosq; & ministros eius alios quemadmodum & vniuersos subditos, nec non nobilium, consiliariorum, aulicorum & omnium in genere subditorum vxores puellasque & virgines attinet, omnes nudo corpore incedūt, excepto quod supparo siue linteolo vel gossypino vel sericeo ab vmbilico ad genua demisso intermediam corporis partem obuelent, corpore alias bene proportionato & colore fusco siue puniceo potius cernuntur. Quo quis autem nobilior, præstantior & ditior est, eo auriculas longiores & humeris magis imminentes pluribusque aureis annulis ornatas habet. Idque mulieribus magis quam viris familiare est. Viros enim obseruarunt Hollandi, qui ab auribus centum & amplius annulos, quales nos in digitis gestare solemus, gemmis preciosissimis ornatos, dependentes habebant, sed in fœminarum auribus vltra ducentos numerarunt, qui pondere suo auriculas etiam infra humeros protraxerant, sed & armillas aureas multisque gemmis nitentes in collo, brachiis, pedibusque, nobilium vxores gestant, & vngues in digitis admodum prominentes & variis fissuris dissectos atque coloratos habent. Lasciuæ autem admodum sunt, & impudicæ, palmamque in meretriceo furore ponunt, eo maiori sibi honori & laudi ducentes, quo meretrices se maiores & diuturniores constantioresque probare possunt.

Nobiles in Calicuthia carnibus non vescuntur.

In more positum habēt, vt qui nobiles sunt, quemadmodum & Cæsar ipsemet cum vniuersa sua familia aulica carnibus piscibusque omnino abstineant, nec quicquam quod vitam habuit comedant. Adeo enim religiosi sunt, vt nec pediculum pulicemve vel aliud quodpiam insectum

interficiant, ſed tametſi in corporibus forte ſuis deprehenſum, folio viridi inuoluant & in terram exponant. Dicunt enim omne quod viuit, animam æque, vt homines habere. Verum à communi plebe conſuetudo hæc minime obſeruatur, tam enim carnibus quam piſcibus, carne tamen ſuilla excepta, quæ ipſis abominationi eſt, veſcuntur.

Religio populorum Calicuthenſium.

Religio ipſorum plane ethnica & ſuperſtitioſa eſt, Diabolum enim ipſum adorant, cuius in omnibus ſuis templis pictas habēt imagines, quin & in primario templi loco horribilem admodum habent Cacodæmonis ſtatuam, tribus capitibus deformem ex aurichalco fuſam, ad quam preces & ſacrificia ſua peragunt. Præterea Solem etiam & Lunam adorant, & circa matrimonia hunc morem obſeruant, vt qui nobiles proceresq; ſunt ſponſam prima nocte non attingant, ſed Braminem ſiue ſacrificulũ quendam, vel albi coloris hominem, vbicunque etiam eum inuenire poſſint, pro quadringentis vel quingentis florenis conducunt, qui prima nocte cum ſponſa dormiens ad coitum eam aptam reddat. Verum qui promiſcuæ plebis ſunt, morem iſtum non obſeruant, ſed ipſimet labore iſto facile defunguntur.

Vxores mortuo viro in ignem ſe præcipitant.

Viro aliquo mortuo, cadauer eius non ſepelitur ſed comburitur, cineres autem in vas aliquod colliguntur, & in ædibus viri, inſtar alicuius theſauri precioſiſſimi aſſeruantur. Vna autem vxorum eius quam præ cæteris charam habuiſſe conſtat, (non enim vnam tantum vxorem, ſed decem, viginti, triginta & plures habent,) octauo vel decimo poſt obitum viri die cognatos familiareſque & amicas ſuas omnes prandio excipit, ſeque cum illis oblectat. Finito autem prandio cum illis ad ignem, ab aliquibus ſub prandio iſto in fouea quadam paratum, multa cum lætitia & exultatione abit, ſalutatiſque amicis in ignem ſe præcipitat, amicis inter clamores & vociferationes cantuſque varios choreas ducentibus & tripudiantibus, donec in cineres mulier iſta redacta ſit. Hoc enim ei honori datur, & quæ hoc facit, beata prædicatur, contra vero ſi quæ id facere recuſet, ab omnibus culpatur & ignominia afficitur.

Calicuthia in veteri Teſtamento Moria dicta fuit.

Quod ad alia attinet, quam grati nempe & accepti Regi Calicuthenſi Hollandi fuerint, quam honorifice eos exceperit, & quam multa mirabilia ipſis ibi viſa ſint, ea hic quidem omnia commemorare, longum nimis foret. Cæterum regionem hanc in veteri Teſtamento Moriam dictam putant, commonſtratus enim Hollandis mons fuit, in quo Abrahamus filium ſuum Iſaacum mactare & in ſacrificium Deo offerre voluit.

Scribæ in Calicuthia.

Papyrum populus iſte non habet, ſed quicquid annotatum volunt, nucum foliis ſtylo ferreo inſcribunt. Et quidem in aula Imperatoris, Scribæ plurimi reperiuntur, viderunt enim Hollandi non paucos nucum folia manibus tenentes, quibus populo id petenti ſupplicationes, vel aliud quodcunque exiguo admodum precio contenti, inſcriberent.

Hollandi ex Calicutho diſcedunt.

Die 13. & 14. venationem aprorũ Imperator in Admiralis gratiam inſtituit, centũ aliquot viris emiſſis, qui quadraginta & amplius apros eximiæ magnitudinis breui tempore ceperunt, quos omnes Admirali donatos, Hollandi ad naues traduxerunt. Cum igitur Admiralis negotium omne apud Imperatorem confeciſſet, & aliquos qui vino inebriati, modeſtiæ fines in nauibus tranſierant, more nautico pœnis cohercuiſſet, præfectum Nauclerũ & Mercatorē, quos in naui Luſitanica Bon Ieſus nomine interceptos, ſecũ hactenus habuerāt, in terram exponi, Imperatoriq; captiuos deti-

detinendos tradi iussit. Quo facto, subleuatis 16. die Anchoris, vela ventis iterum commiserunt. In itinere autem, cum ad tria fere miliaria progressi essent, ad castellum aliquod cui Banane nomen erat delati sunt, illud seditiosi quidam & Imperatori rebellantes obtinebant, itaq; Celocibus quam proxime aduecti, tormenta in illud viginti, (ad mandatum Imperatoris) exonerarunt & disploserunt.

Die 17. summo mane ad Cutsinum venerunt, quod proprium quidem Regem habet, sed ad Imperatorem tamen Galecuthensem etiamnum pertinet. Rex autem iste cum Lusitanis sentiens, rem eo perduxit, vt Lusitani maximam & vrbis & arcis partem in potestate sua habeant, & magna ibi commercia tractent, bellum cum Imperatore perpetuum gerentes. In portu autem isto tres suarũ nauium, quæ paulo ante ad Goam, ab ipsis, vt suo loco dictum est, abierunt, Roterodamum nempe, Mittelburgum & Horniam, deprehenderunt, itaque ad illas venientes, anchoras statim proiecerunt. Admiralis autem exonerato tormento signum reliquis nauibus dari curauit, itaque militaris ad eum statim Senatus sese contulit, decretumque ibi est, vt cum propter oppidi & castelli robur viresque maximas, itemque propter populi ibi habitantis frequentiam profecturos sese nihil viderent, velificationem persequerentur, vt ad ea tandem loca venirent, quæ proposita sibi haberent, vnde, cum ad nauem suam se quisque recepissent, ad continuandum iter conuersi sunt. Distat autem oppidum & castellum Cutsinense à Calicutho 30. miliaribus.

Perueniunt ad Cutsinum.

Die 19. ad Promontorium quod Cabo Cummerin, vulgo vocant, & sexaginta miliaribus à Cuthscino distat, venerunt. Ablegabant autem statim eodem die nauiculam cum sedecim personis, Bantanum versus, vt mercatoribus & procuratoribus suis significarent, se cum classe sua iam aduenisse. Non longũ autem inde in Mesopotamiam interuallum est, breuissimus item ad littus Coromandelium, quæ pulchra admodum & præstans regio est, traiectus.

Perueniunt ad promontorium Cummerinum.

Die 22. ad Insulam & terram, quam Xailan vocant, peruenerunt. Distat ea à Cabo Cummerino, octoginta miliaribus, estque terra bona admodum & fertilis, trecenta miliaria ambitu suo complectens. In hac Insula Paradisum fuisse multi sunt qui credunt, idque eam præcipue ob causam, quod quatuor ista primaria totius mundi flumina, quæ per Paradisum fluxisse Moses in veteri Testamento asserit, per Insulam istam labantur. Ingens in Insula ista Cinnamomi prouentus est, habeturque illud pro optimo, quod in toto orbe terrarum reperitur. Suppeditat etiam Insula ista gemmarum & auri plurimum, & Pyropi quidem seu Rubini tam præstantes ibi sunt, vt reliquos omnes facile vincant & superent. Reperiuntur ibi & Ciconiæ & Capræ aues, quas nullibi per totam Orientalem Indiam reperire est. Populus Insulæ istius colore, religione & moribus, à Calicuthensi parum differt, & Germanis admodum fauet, quamuis Lusitani duo etiam ibi castella siue propugnacula habeant, quod tamen ipsis valde admodum dolet, qui multo cum Germanis conuersantur & negotiantur libentius. In Insula ista, magna etiam ista potensque ciuitas Candia sita est, in qua Rex potentissimus qui quatuordecim sub se Reges alios habet, sedem suam obtinet.

Perueniunt ad Insulam Xailan quã Paradisum fuisse multi credunt.

Die 23. Celocem Gryphum Etschinum ablegarunt, vt ex procuratoribus & mercatoribus Hollandis cognosceret quid noui in Insulis istis

Perueniunt ad Sumatram Insulã.

istis esset, quæ quidē celox post dies pauculos ad classem iterū reuersa est.

Die autem *30.* ad Sumatram seu Taprobanam Insulam venerunt. Ea à priori Xailan ducentis distat miliaribus, estque ingens admodum & magna, ad sexcēta miliaria ambitu suo cōplectens. Quin imo post Madagascarem, maxima totius mundi censetur. Estque fertilis admodū & bona, piper proferens totius mundi præstantissimum, & gemmas plurimas, vtpote Smaragdos, Hiacynthos & alias, nec non lapidem Bezoar, & vniones siue margaritas preciosissimas, multumque auri suppeditat.

Etschinum aula Regis in Sumatra.

In Insula hac Etschinum oppidum est, vbi Hollandi mercatores & procuratores suos habent, qui magna commercia cum incolis aliisque populis exercēt. Habet autem in oppido isto & Rex Insulæ sedem suam, cuius potestati adhuc quinque Reges alii, qui itidem in Insula ista imperant, subiecti sunt. Rex est potentissimus & ditissimus, Elephantos in aula vltra trecentos habet. Satellites autem quibus vtitur, omnes fœminæ sunt, numeranturque ad tria millia, quæ arma tractare æque ac viri didicerunt, prudentia militari non exigua præditæ, quam ob causam à Rege etiam magno in honore & precio habentur.

Separantur ab inuicem tēpestatibus.

Die 1. Nouemb. tempestatem & procellam cum multis imbribus experti sunt, eratque aer obscurus & turbidus ita vt non longe prospicere possent, itaque tres, prouincia nempe vnita, Hornia & Selandia, tempestatibus istis à classe abreptæ & disiectæ fuerunt, ita, vt ante decimum nonum Nouembris diem videri amplius non potuerint.

Die 7. ad terram venientes, oberrare ibi, ob ventorum contrarietatem, ad decimum vsque coacti sunt. Eo die cum tribus scaphis ad terram peruecti sunt exploratum, qualis ea terra esset, cum propter obscurum istum & nebulosum aerem prospicere non possent, vbi nam locorum versarentur. Cum autem ad littus peruenissent, ad Sumatram illud adhuc pertinere cognouerunt, sed ab illo loco, vbi 30. Octob. fuerant, ad centum miliaria abess-. Terra erat satis bona, sed homines ibi degentes Anthropophagi esse dicebantur, qui nec accedere ad eos, nec cibariorum aliquid & fructuum ipsis suppeditare volebant. Ingens ibi Elephantorum, Leonum & Bubalorum copia est, sed Hollandi locum nullum inuenire poterant, vbi aquam potabilem acciperent, itaque ad naues iterum cum scaphis suis reuersi sunt. Cumque 11. die ventum sibi fauentem nacti essent, cursum suum recta ad fretum Malaccæ direxerunt. Premebantur autem aquæ penuria. Itaque cum eo die valde admodum pluere cœpisset, pluuiam istam colligere & ad futuros vsus reseruare modis omnibus adlaborarunt.

Ingrediuntur fretum Malaccæ.

Die 12. initium freti Malaccensis assequebantur, die autem 14. perueniebant ad septem minores Insulas, non longe ab inuicem remotas, ab Insula autem Sumatra quinquaginta & amplius miliarib. distantes, iamque medio inter septem istas Insulas & ingentem terræ tractum itinere cursum suum tenebant. Terra ea admodum montosa & scopulosa est, non procul à continenti Malaccæ regione distans, inculta plane & nullis hominibus, quemadmodum & septem modo dictæ Insulæ, habitata, itaque vesperi sub terra sese demiserunt.

Die 16. cursum suum Orientem versus direxerunt, sed ventum admodum inconstantem habebant, & circa vesperam in arenas deferebantur, ita, vt profunditatem vix quatuor cum dimidia Orgyarum obseruarent, & statim anchoras suas proiicere cogerentur.

Die

Die 17. leuatis iterum anchoris, velificationem suam occasum versus, vt ab arenis istis remoueretur, direxerunt. Circa vesperã quieta erant & tranquilla à ventis omnia, itaque cum fluctum haberent plane contrarium, firmare iterũ anchoris naues suas coacti sunt. Sub noctis medium, ventum commodiorem aliquanto nacti leuatis statim anchoris progressi sunt. Non erat autem ventus iste diu constans, sed statim iterum remittebat, quo facto anchoras iterum in profundum mittebant.

Die 18. velificationem suam Meridiem versus direxerunt, verum nocte sequente profunditatem vix septem cum dimidia Orgyarum deprehendebant, & propterea anchoras iterum proiiciebant.

Naues hactenus dispersæ cõiunguntur.

Die 19. leuatis anchoris, ad velificationem continuandam sese accingebant, verum cum vix paululum progressi essent, respicientes, sex naues sese sequi, eminus prospexerunt, itaque anchoras iterum abiecerunt, earum aduentum præstolaturi & quæ essent, visuri. Pluebat autem valde admodum, vt multum inde aquæ colligere & sese à nimio æstu reficere quam optime potuerint. Cum igitur naues modo dictæ ad sex milliaria aduenissent, abiectis anchoris, substiterunt, missaque ad eas scapha quænam essent inquisiuerunt, quæ simulatque aduenisset, ad naues istas pertinere, quæ 1. Nouemb. die, tempestatum iniuria diffitatæ ab aliis & disiectæ fuerant, agnita est, itaque eam inclamantes, nauclerum ad naues receperunt, quin & accenso igne, tria tormenta disploserunt, signum illis, se ad classem istam pertinere, præbentes.

Perueniunt ad vrbem Malaccam.

Die 20. cum naues iterum omnes coniunctæ essent, leuatis anchoris simul progressæ sunt, cursum suum Euroaustrum versus dirigentes, verum cum venti statim remitterent, naues firmare iterum cogebantur.

Die 21. vel ficationem cœptam continuarunt, & circa vesperam, remittente vento, anchoras proiecerunt.

Die 22. ventum iterum conuenientem nacti, cursum suum Euroaustium versus direxerunt. Sequenti autem die, Septentrionem versus vela flectentes, cursum recta ad vrbem & castellum Malaccam direxerunt, quam circa meridiem etiam eodem die assecuti sunt, quæ quadraginta quinq; miliaribus à septem istis, quarum supra mentio facta est, Insulis, distat.

Postquam proiectis anchoris ibi consedissent, milites statim aliqui in scaphas expositi & ingentem nauem Lusitanicam, quæ sub oppido ab anchoris hærebat, oppugnatum, emissi sunt. Verum cum oppidani id vidissent, multis nauiculis aduecti, preciosiora quæque ex naui ista eripuerunt, dispositis ad puluerem tormentarium fumigantibus funiculis, vnde puluis ignem concipiens, nauem ne in Hollandorum manus veniret, disperderet. Cum igitur reuersis ad oppidum Lusitanis, Hollandi aduentarent, puluis accensus, partem aliquam nauis disiecit, sed Hollandi nihil eo fragore perterriti nauem ingressi sunt, cumque nihil preciosum in ea inuenissent, ea flammis accensa, ad naues suas iterum illæsi reuersi sunt, tametsi enim ex vrbe & castello tormenta in eos non pauca disploderentur, nihil tamen damni ipsis illatum est, cum tamen Hollandi contra disploso exiguo tormento, nauiculam Lusitanicam, quæ ex castello ad magnam istam nauem missa ferebatur, dissipatam vndis plane submerserint.

Hollandi ſcaphas aliquot extruere incipiunt.

Die 24. ablegatis Goeram verſus duabus ſcaphis, Regi eius loci ſignificarunt, ſe cum claſſe ſua eo aduenisse, & oppidum caſtellumque (dummodo auxilio ſibi cum ſuis venire vellet) obſidere decreuiſſe, ſperantes omnino victoriam à Luſitanis reportare, & caſtello eos oppidoque profligare.

Diem 25. aquis ex parua quadam Inſula trans oppidum ſita, ad naues ſuas couehendis totum tribuerunt.

Die autem 26. quinque ſcaphas in parua Inſula alia, que Ile de Petre vulgo dicitur, & dimidio miliari cis oppidum Malaccam ſita eſt, extruere cœperunt, expoſitis in terram centum militibus, qui naupegos iſtos, ſeu fabros nauticos in opere tuerentur, & ab inſultu Luſitanorum tutos ſecuroſque præſtarent.

Luſitani ab Hollandis in Inſula de Petre, male excipiuntur.

Die 27. Luſitani ex oppido & caſtello erumpentes, cum quinque triremibus & quinquaginta circiter nauiculis aliis, ſummo mane ad Inſulam de petra appulerunt, ſperantes Hollandos ibi opprimere & omnes trucidare, quemadmodum etiam in terram magno cum feruore deſcenderunt, & ſummo in Hollandos impetu mouerunt. Verum Hollandi viriliter ipſis reſiſtentes, tanto eos cum feruore ad nauigia repulerunt, vt licet numero viribuſque multo ſuperiores eſſent, magna tamen cum contentione triremes repetierint & non paucos ab Hollandis cæſos poſt ſe reliquerint, inter quos Admiralis ipſemet ſeu præfectus maris eius loci, qui ex crucigerorum equitum numero erat cum tribus Capitaneis, & ſex primariis aliis officiariis erat præter multos gregarios milites, quorũ multi occubuerunt, multi cęſi & ſemianimes, nauigiis ſe ingeſſerunt, & ad oppidum delati ſunt. Ex Hollandis ſeptem tantum occubuerunt, & tres in Luſitanorum poteſtatem viui peruenerũt. Peracta autem pugna iſta, plures ex nauibus claſſiarii in Inſulam expoſiti ſunt, vt excubias maiores agerent, & ſi quid tentare denuo Luſitani conarentur, maioribus eos exceptos viribus diſpellerent.

Æthiopes manſionem apud Hollandos faciunt.

Die 28. multi piratæ Æthiopes cũ quindecim nauigiis, quæ ipſi Fregatas vocant, ad naues Hollandorum appulerunt, & ab Admirali, vt liceret ſibi dies aliquot cum illis commorari, quod amici Regis Goerii & hoſtes Luſitanorum eſſent, petierunt, quibus id ab Admirali facile conceſſum & permiſſum fuit, ſed & eodem die quadraginta & amplius Aethiopes tam viri quam mulieres magna naui ad Inſulam iſtam ex continente regione aducti, tuguria quædam ibi excitarunt, & cum Hollandis quandiu ibi commorati ſunt habitarunt.

Gallus quidam Luſitanorum captiuus ad Hollandos peruenit.

Die 1. Decembris piratæ quidam Aethiopes tribus nauigiis ad continentem regionem aducti ſunt, viſum an forte Luſitanos aliquos comprehendere poſſent, qui veſperi reuerſi, virum quendam ſecum adducebant, ex quo, cum examinaretur, cognitum poſtea eſt, quod non inuitus ſe comprehẽdi paſſus eſſet, & quod eo fine ex caſtello diſceſſiſſet, vt comprehenſus Hollandis traderetur. Erat enim natione Gallus, patria Rupellanus, ante ſex annos à Luſitanis, ex Warvviccii comitatu comprehenſus & abductus.

Iuncas ſiue ſcaphas Luſitanicas intercipiunt.

Die 3. ſcapham ſatis magnam, pipere, Oryza, Aracca & gallinis oneratam & ad oppidum tendentem, comprehenderunt. Scaphas iſtas, Luſitani Iuncas vocant, quibus ad merces ex vno loco in alium deuehendas vtuntur. Artificio mirabili factæ ſunt, vt mirum ſit tanta eas onera admittere poſſe.

Die

Die *6.* duæ celoces Gryphus & Pauo, quas Admiralis ablegauerat, ad naues iterum reuerſæ ſunt, luncam adhuc vnam, Oryza, pipere, Aracca & gallinis oneratam; quæ in oppidum etiam tendere voluerat, ſecum afferentes.

Die *7.* ſcapha ipſorum, quam 24. Nouemb. Goeram ablegauerant, reuerſa, non procul inde duas naues Luſitanicas, quæ ex China veniſſent, ſubſiſtere, quam ob cauſam Hornia ſtatim nauis cum Ruffo Leone Sagittifero, & Grypho, Pauoneque Celocibus, eas interceptum miſſæ ſunt.

Expugnant duas Luſitanicas naues, admodum diuites.

Die *9.* de expugnatis iſtis duabus nauibus nuncium acceperunt, quemadmodum etiam ſequenti 11. die naues ad claſſem reuerſæ, Luſitanicas iſtas ſecum adduxerunt. Naues hæ Luſitanicæ ex China venerant, Goam profecturæ; erantque auro, holoſerico, panno aurato, moſcho, ſerico, ſaccharo, charyophyllis, & aliis precioſiſſimis mercibus, oneratæ, ita vt quadragies centenorum millium æſtimarentur, numerabantur in illis ducenti & ſex viri, octo mulieres & ſex pueri. Mulieres autem cum liberis iſtis Arabicæ & Guſaraticæ erant, Luſitanorum enim tantum centum & triginta erant, reliqui Arabes, Chineſii, Guſaratæ & Turcæ erant; quibus Luſitani tanquam mancipiis vtebantur.

Die 14. Mercatorum ſiue Procuratorum Hollandicorum, qui ad Goeram ſubſiſtunt; aliquis ad naues aduectus, referebat Admirali, non poſſe hoc tempore Regem iſtum obſidioni Malaccenſi vacare, aut Hollandis in ea opem ferre; propterea quod triremes & naues ſuas quibus ad eam opus eſſet, ad manus iam non haberet. Itaque Hollandi obſidionem iſtam ſoli tentare operæ precium non duxerunt.

Rex Goerenſis Hollandos in obſidione Malaccenſi iuuare non poteſt.

Die 15. Ruffus Leo Sagittifer, cum Grypho Celoce ab illis, verſus fretum Malaccæ Syncipur nomine abierunt, cum mandato, vt tres vel quatuor ſeptimanas ibi hærentes in naues ex China forte venientes intenti eſſent, & iis intercipiendis operam darent.

Die 17 miniſter quidam nauticus, Iohannes Hubertus nomine, natione Pomeranus, patria Lauenburgenſis mortuus, & in Inſula trans Malaccam, vnde aquam potabilem afferebant, ſepultus eſt.

Die 19. adhuc alius ad vnitam prouinciam pertinens, natione Anglus, patria Chilenſis, nomine Iohannes Hixius, mortuus & in Inſula de Petra ſepultus eſt.

Die *20.* Luſitanum quendam ex illis quos cum interceptis nauibus comprehenderant, in vrbem cum literis miſerunt, & tres Hollandos, quos captiuos ſecum ex Ile de Petro abduxerant ſibi vti reſtituerent, rogarunt, qui paulo poſt ex vrbe reuerſus literas retulit, quibus omnes Luſitanos, quotquot in duabus iſtis nauibus fuiſſent, & præterea adhuc equitem cruciferum, qui ante hæc tempora ab Admirali Madelifio comprehenſus fuiſſet, & iam Bantami captiuus detineretur, dimittere iubebantur, addita promiſſione, vbi hoc feciſſent, captiuos iſtos tres Hollandos; & præterea miniſtrum quendam nauticum; quem ante aliquot annos ex Stephani Verhagii naue comprehenderant, dimiſſum iri, cui quidem petitioni aſſentiri Hollandi non poterant, cum de conditione & ſtatu equitis iſtius cruciferi, qui Bantami detineretur, nihil ipſis conſtaret.

Captiuos ſuos redimere à Malaccenſibus fruſtra nituntur.

Die *21.* ſcaphæ iſtæ quinque quas hactenus in Inſula de Petra extruxerant, paratæ plane & in mare delatæ ſunt, quo facto ſequenti ſtatim die milites claſſiarii omnes ad claſſem, nauibus vento iterum commiſſis, reuerſi ſunt. Die *24.* Epiſcopus ex Maccari in China, qui in duabus

Epiſcopus ex Maccau captiuis Hollãdis liberationem cõciliat.

duabus istis nauibus inter alios etiam comprehensus fuerat, in terram delatus est, promiserat enim Admirali effecturum se, vt Malaccēses captiuos istos Hollandos, cum Lusitanis istis quos secum in naui habebant permutatos dimitterent, quod etiam fecit, vesperi nempe reuersus cum responso, quod Lusitani conditionem istam acceptare parati essent. Interim tamen Lusitani circa meridiem cū nauigiis aliquot ad classem appulerant, vt aliquid in eam tentarent; verum cum Hollandos in excubiis inuenissent post tormentorum aliquot displosiones, iterum discesserant.

Recipiunt Hollandos suos captiuos.

Die 25. nauem ex duabus Lusitanicis quas nuper ceparant, vnam exoneratam, accenderunt, alteram vero exonerarunt quidem, sed cum bonam adhuc esse deprehenderent, rebus omnibus eam instruxerunt, & classiarios aliquot ei adiunxerunt, vt eam secum ducerent.

Die 26. Lusitanos captiuos omnes in terram exposuerunt, & oppidanis illæsos tradiderunt, captiuos suos Hollandos pro illis recipientes, Arabes vero, Gusarattas, Turcas & Chinesios cum vxoribus & liberis in nauibus secum retinuerunt.

Discedunt à Malacca.

Die 28. leuatis iterum anchoris suis, velificationem continuarunt, circa meridiem autem multi Piratæ Æthiopes duodecim Fregatis aduecti, gallinas & Tabaccam eis tolerabili precio vendiderunt.

Die 29. cursum suum Euroaustrum versus direxerunt, & nuncium de Mercatorum in Ruffo Leone Sagittifero præfecti obitu acceperunt.

Malaccæ vrbis & castelli descriptio.

Quod autem attinet ad oppidum & castellum Malaccæ, sciendum est, vrbem eam arcemque pulchram admodum & eleganter ædificatam esse. Castellum cis oppidum situm est, munitum admodum & mari tam prope adiacens, vt fluctus à turbato nonnihil mari muros etiam feriant. In medio ciuitatis duo montes sunt admodum præcelsi, in quorum vno monasterium pulchrum & muratum, Ordinis Cappucinorum, in altero templum elegans admodum & magnum extructa sunt. Oppidum ipsum cum castello à Lusitanis, ante centum fere annos excitatum est, à quibus etiamnum possidetur. Diues autem est & multis mercatoribus inhabitatum, multa enim commercia ibi à vicinis populis exercentur, etiamsi aere admodum pernicioso fruatur. Homines ibi passim in freto Malaccæ habitantes, colore sunt spadiceo, facie lata, nasis incuruatis & labiis crassis, nudi plerunque omnes incedunt, ditioribus solum exceptis, qui tunicas manicatas, ex viridi vel cæruleo gossypio cōtextas, ad genua fere propendentes indutas habent, prudentia singulari in negotiationibus suis præditi sunt, idque admirationem potissimum meretur, quod pueri eius loci, annos forte duodecim vel tredecim nati, prudentiam multo maiorem in sermone & negotiationibus omnibus quam seniores præ se ferunt & ostentant.

Die 30. leuatis anchoris, cursum suum Euroaustrum versus direxerunt; sequenti vero die Orientem versus progressi sunt, vesperi anchoras semper in profundum mittentes, vt pericula à scopulis & Insulis quæ ibi frequentes sunt euitarent.

Perueniunt ad fretum Synciput.

Calendis Ianuarii Anno 1609. leuatis iterum summo mane anchoris, cursum suum orientem versus direxerunt, circa vesperam ad fretum Malaccæ, Synciput nempe pertingentes, vbi rubrum Leonem Sagittiferum & Gryphum Celocem viderunt, statimque ventum aduersum nacti anchoras in profundum miserunt. Sequenti die multi Æthiopes nauigiis ex terra aduecti, gallinas, oua, pisces, mala aurea, Lemonia, Bannanas & fructus

fructus alios ipsis vendiderunt. Die 3. leuatis anchoris fretum Syncipuc ingressi sunt, verum sub ingressum se submittere iterum ob ventum contrarium cogebantur.

Die 4. circa orificium freti aliquandiu oberrarunt, donec illud tandem ingrederentur. Vix autem ad dimidium miliare progressi, subsistere ibi iterum, ob frequentiam Insularum coacti sunt, quo die classiariorum aliquis, Martinus Haslingerus nomine, Ratisbona oriundus, mortuus, atque ibi in freto isto, quod cercopithecis admodum abundat, sepultus est.

Die 5. Admiralis cum senatu militari in scapham descendit, vt Goeram quam primum delatus, Regem conueniret.

Admiralis ad Regem Goerensem vehitur.

Die 7. cum ventum satis opportunum nacti essent, ad fluuium vsque qui Goeram labitur processerunt, ibique ad ostium fluminis sese submiserunt. Sequenti die subleuatis anchoris fluuium istum vti ingrederentur modis omnibus adlaborarunt, verum cum id facere non possent, submittere sese iterum coacti sunt, factum est autem, vt cum anchoram proiicerent, funis rumperetur, itaque anchoram aliam expedire coacti sunt, vt periculum à scopulis ipsis imminens euitarent, anchora priori in aquis relicta. Eo die Chinenses quidam, ex illis qui Goeræ habitant, nauicula ad classem aduecti, fructus eis & commeatum alium suppeditarunt.

Die 9. leuatis anchoris fluuium qui Goeram ducit ingressi sunt, verum non longe progressi ventum fluctusque tanto impetu sibi reluctantes deprehenderunt, vt se submittere cogeretur. Accidit ibi, vt miles quidam ex societate Selandica in aquam lauatum descendens, à duobus piscibus, quos Haien Hollandi dicunt, comprehenderetur, & disruptus deglutiretur. Eodem die etiam nauclerus quidã, in scapha ad Amstelrodamum nauem pertinente, à ministris nauticis grauiter percussus, diem suum obiit.

Miles quidam à beluâ marina deuoratur.

Die 10. leuatis iterum anchoris, in fluuio isto, vsque ad Goeram veterem progressi & iuxta pagum cui Scharlo nomen est, sese demiserunt. Vetus hæc Goera, oppidum est, à Malacca triginta miliaribus distans, fuitque olim ingens admodum & pulchre extructa ciuitas, nuper autem ante quatuor annos à Lusitanis plane deuastata & ad eam formam redacta est, vt vix paucula ædificia amplius reliqua habeat, quæ tamen satis frequenti adhuc populo habitantur, quamuis primarii quique ad nouam Goeram tribus inde miliarib. distantem, concesserint, & etiamnum plures eo concedant, cum oppidum istud à Rege nuper extrui cœptum sit.

Perueniunt ad veterem Goeram.

Die 11. Miles quidam qui ante hæc tempora in Insula de Maio supplicio afficiendus fuerat, ex naui in aquam decidit, vndisque suffocatus periit.

Die 12. multi Arabes, Persæ & Turcæ mercatores ad classem aduecti, commercia varia cum Hollandis exercuerunt.

Rex Goeræ ad naues Hollandorum aduehitur.

Die autem 14. Rex Goeræ, assumptis fratre & filio, multisque proceribus & vxoribus suis, qui omnes duodecim triremibus, nauigiisq; fregatis vehebantur, ad classem Hollandorum, cum Admirali & senatu militari, vt naues Hollandicas perlustraret, aduectus est. Sequenti autem die duæ militum cohortes cum ducentis ministris classiariis, omni armorum genere instructæ, in terram expositæ sunt, vt instructa, in patenti quadam veteris Goeræ area, acie, militaris pugnæ siue conflictus Regi exhiberent.

Descriptio Regis Goeræ.

Quod autem ad Regem Goeræ, Ratiſpontum nomine, attinet, is vir adhuc iuuenis eſt, triginta plus minus annorũ. Cum ad naues veniret, interulam induerat candidam goſſypinam, ad genua vſque pertingentem, & eleganti faſcia goſſypina verſicolore ſuccinctam, quæ faſcia tam longa erat, vt ad pedes ipſi propenderet, in pedibus ſoleas habebat ex holoſerico nigro conſutas, caput faſcia item nigra ſericea obuoluerat, torques ſiue catenulas aureas tres à collo ſuſpenſas habens, multis gemmis nitentes, ſiniſtro brachio duos annulos aureos ſatis craſſos, dextro vero vnum induerat, in digitis ſex magni precii annulos geſtabat, eratque pugione miro artificio terribili, quales ipſi Criſſas vocant, armatus, cuius capulus vaginaque tota ex ſolido auro, multis Adamantibus, Sapphyris & pyropis exornato, conſtabat, ita, vt ad quinquaginta florenorum millia ab Hollandis æſtimaretur. Proportione formaque ſatis decora erat, mediocri longitudine, ſermone moderato & placido, albeſcenteque per vniuerſum corpus colore. Vxorum ſecum ad triginta habebat, quæ varii coloris interulis tunicisque itidem inductæ cernebantur, ſed & triremi vtebatur pulchre admodum exornata & quatuor columnis aureis, cadurcum ſiue tectum aliquod, ſub quo in ſolio ſuo reſidebat, ſuſtinentibus, conſpicua.

Rex Goeræ veſtitum germanicum ab Admirali dono accipit.

Die 16. Rex cum fratre & procerum nobiliumque ſuorum aliquibus in naui Mittelburgo, ab Admirali conuiuio exceptus fuit, qui eum etiam Mauritii Naſſouii nomine, veſtitu germanico decoro admodum, donauit, quem ſtatim in gratiam eius induere nihil quicquam veritus fuit. Sequenti die Rex cum populo ſuo ex nauibus iterum diſceſſit, & nouam Goeram verſus, vbi ſedem ſuam regiam habet, aſſumptis ſecum Admirali, & Viceadmirali, profectus eſt. Vbi Admiralis quidem & Viceadmiralis cum Senatu militari ad 24. vſque commorati ſunt, quo die cum ad claſſem iterum reuerſi eſſent, Celocem Gryphum ex freto Synciput ad claſſem aduenisse vidit, idque eam ob cauſam, quod morbis dimidiam fere claſſiariorum partem correptam haberet.

Miniſter quidam nauticus à belua marina diſcerptus.

Die 25. Rex cum decem triremibus & fregatis nauibus ad claſſem iterum aduectus eſt, ſed non diutius, quam vnicum ſolum diem ibi moratus eſt.

Die autem 28. miles quidam ex vnita prouincia naui oppidum ingreſſus, à miniſtro quodam nautico inter pocula cultro lethaliter vulneratus fuit, qui factum illud vlturus maxillam ei diſcidit.

Die 29. quidam ex nauibus in aquam lauatum deſcenderant. Accidit autem, vt belua quædam marina, ſeu piſcis ingens, quem Hollandi Haien vocant, ſub naui proſiliens, miniſtrum quendam nauticum, Matthiam Iunckes nomine, ex Friſia orientali oriundum comprehenderet, & crus ſiniſtrum, cum femore, virilibus & dimidio latere, vno morſu impetuq; à corpore eius auelleret, ſociis qui itidẽ in aqua erant, eum ſtatim arripientibus, & ex fauce dentibuſq; beluę extrahentibus, qui in ſcapham naui adnexam reclinatus, ſpiritum ad horam dimidiam, donec eum plane exhalaret, traxit, ſermonem fere nullum edẽs, cum inteſtina ei ex ventre diffluerent & propenderent. Piſcem iſtum Hollandi eo adhuc viuo, adunco in aquam ferro cui fruſtum carnis adfixum erat proiecto, ceperunt, caudaque & capite truncatum exenterarunt, cumque membra iſta quæ homini abripuerat adhuc integra in ventriculo eius inueniſſent, ea cadaueri addita, ſepelierunt, beluam vero fruſtulatim diſſectam, ex naui abiece-

abiecerunt; quæ duodecim pedes longa & vlnas duas cum dimidia lata fuerat.

Circa vesperam eius diei miles quidam ad Selandicam societaem pertinens ministrum quendam nauticum ex Grypho Celoce, absque vlla causa, immeritum plane & insontem, Crissa pugione trucidauit, peractoq; facinore ad fruteta confugit, vbi, quamdiu ibi Hollandi adhuc substiterunt, absconditus permansit.

Miles aliquẽ sine causa interficiens, in syluam se abscondit.

Tertio Februarii die, Admiralis cum militari Senatu ex noua Goera reuersus, parari omnia ad discessum curauit, itaq; 6. Februarii leuatis anchoris iterum inde soluerunt, & ad iter suum continuandum absoluendumque conuersi sunt. Peruenerunt autem eodem die ex fluuio ad fretum Syncipur, vbi Ruffum Leonem Sagittiferum in excubiis adhuc deprehenderunt, iuxta quam naues deinde omnes anchoras suas abiecerunt, Grypho Celoce excepta, quæ in fluuio isto, ad veterem Goeram remanserat, vt vbi ægroti sanitatem iterum recuperassent, eos aueheret, & tum, prout in mandatis habebat, ad rubrum Leonem Sagittiferum nauem, quæ eam ad fretum Syncipur præstolari debebat, se reciperet. Circa vesperam autem vnus ex tonsoribus siue chirurgis, quos secum habebant, Henricus nomine, natione Westphalus, patria Lippiensis, mortuus est, quem sequenti die ex naui leuatum in mari sepelierunt.

Discedunt ex regno Goerensi.

Quod attinet iam ad regionem & regnum Goer, in quo aliquandiu iam versati fuerunt, illud potens admodum & magnum est, totum enim fretum & vniuersus ille tractus Malaccæ ad illud pertinet, quamuis Lusitani non parum inde occuparint & abripuerint, vnde Rex perpetuum cum illis bellum gerit. Regio est admodum populosa, verum populus est valde lasciuus & impudicus, mendaciis & ignauiæ totus deditus, ita quidem, vt ignauiores Orientalis India vix ferat. Gregarii & plebeii homines nudi toto corpore incedunt, præterquam quod linteolum per pedes ad tegenda pudenda missum gerant. Qui vero ditiores & nobiliores sunt, tunicam gestant gossypinam, rubro, viridi, cæruleo vel alio colore infectam, nostris indusiis fere similem, laxis manicis, ab anteriori parte ad pectus vsque apertam, & ad genua vsque pertingentem. Fascias præterea duas habent ex serico vel gossypio eiusdem cum tunica ista coloris textam, quarum vna corpus præcingunt, extremitatibus ad pedes vsque propendentibus, altera caput inuoluunt. Vngues digitorum colore flauo & fuluo inficiunt, & quo quis nobilior est, eo vngues vel in pollice vel in alio aliquo digito magis prominentes habet, vt quasi aquilæ vngues gestare videatur. Colore sunt fusco & spadiceo, facie lata, nasis incuruatis, & dentibus nigris siue piceis, quibus vsque adeo student, vt quo nigriores quis dentes habet eo pulchrior existimetur. Superbia ipsorum maxima in Crissis siue pugionibus cernitur, illis enim auro gemmisque exornandis vnice student, qui annulos in brachiis digitisque gestent, rariores ibi quam in Calicuthia cernuntur, cum aurum ea in regione, gemmæque non quanta in Calicuthia copia inueniatur. Salutaturi aliquem manus complicatas ipsi eleuant. Quod vero ad religionem eorum attinet, de ea operæprecium non est multa scribere, cum de Deo eiusque verbo parum aut nihil sciant credantque. Terra alioquin bona & fertilis est, multum piperis, sacchari, cinnamomi, po-

Descriptio regni Goer.

mi, po-

mi, pomaque Limonia, Bananas, Batatas, Anasses, & fructus alios, tanta præstantia, quanta vix vllibi per vniuersam Indiam proferens. Mala citrina ibi caput humanum magnitudine æquant. Elephantos regio ista pulchriores & maiores quam vlla alia habet. Rex Ratispontus Elephanto vtitur, colore candido & niueo fere conspicuo, cum tamen alii plerunque murino colore cernantur. Habentur ibi bubali etiam & vaccæ, nec non cerui & apri magna copia, quorum non paucos milites, dum Goeræ essent, noctu in syluis latentes, sclopetis confectos ad naues detulerunt. Sed & Fabiani & Simii, Cercopithecique, Monstra item marina & volucrum genera varia, quæ omnia hic describere longum nimis foret, ibi reperire est.

Discedunt ex freto Syncipit.

Die 7. leuatis iterum anchoris, cursum suum Euroaustrum versus direxerunt. Sub vesperam autem ventum ingentem nacti sunt, qui ad vndecimum vsque durauit. Mansit autem ad orificium freti Syncipit in excubiis Ruffus Leo Sagittifer, cui certum tempus, quamdiu nempe ibi hærere deberet, constitutum fuerat, quo finito, debebat cum Celoce Grypho in Bethaniam, indeque porro in Lapponiam, quæ vltra Chinam sita regio est, mercatores quosdam Hollandos, (qui aliquot annos ibi subsisterent & commercia exercerent, donec ab aliis inde liberarentur) eo delatum, contendere; mercesq; ab Hollandis ibi coemptas & in Hollandiam destinatas accipere.

Mercatores quidam Goeram mittuntur.

Eodem die Mercatorum subpræfectus, cũ adsistente siue socio aliquo, ex vnita prouincia naui, Goeram dimissi sunt, vt ibi cum Mercatore primario, ex Selandia naui, tribusque adhuc aliis sociis ex aliis nauibus, eo destinatis, per tres annos maneret, & commercia exerceret: Contra vero Submercator alius qui triennium iam ibi fuerat, ex Goera ad classem reuersus est. Circa vesperam inter multas Insulas consederunt.

Die 8. cursum suum continuantes, inter innumeras Insulas, maxima parte incultas & nullis populis inhabitatas, nauigarunt.

Die 9. in mare iterum delati, cursum suum occasum versus direxerunt, cumque circa meridiem ad tres exiguas & incultas Insulas appulissent, à sinistra earum parte, ad vesperam vsque nauigarunt, qua appetente ad sex Orgyas se submittere coacti sunt.

Nuncium accipiunt de pace cum Hispanis facta.

Die 10. leuatis rursus anchoris, velificationem suam Euroaustrum versus direxerunt. Circa meridiem nauim quandam peregrinam, in occursum sibi contendere eminus viderunt, cuius nauclerus cum propius ad classem accessisset, ante decem menses ex Hollandia se discessisse, & ad classem eam inquirendum missum esse, vt nimirum ipsis significaret, in Hollandia iam inter Hispanum & ordines vnitos pacem factam esse; inque ea Orientales istas regiones itidem comprehensas esse, sed initium tamen pacis in regionibus istis à primo demum Aprilis, Anni sequentis fieri debere, quod nauigationum Indicarum præfecti significandum Admirali censuissent. Postquam igitur nauis ista nuncium hoc Admirali attulisset, se classi isti adiunxit, cursumque cum ea Bantamum versus instituit.

Perueniunt ad Sumatrã, in plagam li-

Vespera ea ad alterum latus Sumatræ regionis, nempe ad latus lineæ Æquinoctialis meridionale peruenerunt, cum antea, 30. nempe Octob.

Octob. præteriti Anni, in parte septentrionali eiusdem lineæ fuissent. Lineam enim æquinoctialem, per medium regionis Sumatræ se extendere sciendum est.

Linea æquinoctialis meridionalem.

Die 11. leuatis anchoris, cursum suum versus ortum direxerunt, facta ad tres integras horas iuxta terram Sumatræ velificatione, quo loco aquam maris dulcem, turbidam & subrubicundam, experti sunt, non sine summa omnium admiratione, quod aqua, in medio salsi maris, dulcis reperiretur.

Circa meridiem cursum suum versus meridiem direxerunt, inter continentem Sumatræ regionem, & multas Insulas, quarum nomina ipsis incognita erant, progredientes. Et sane continens ista Sumatræ regio pulchra admodum ibi & plana erat, Insulæ vero ei ex aduerso obiectæ, montosæ admodum & scopulosæ apparebant.

Die *12.* velificationem austrum versus tenebant, sequenti vero eam versus occasum dirigebant, quo die ad duas Insulas peruenientes, eas ad sinistram reliquerunt, & circa vesperam, Piperis montem (qui mons est altissimus in Iaua Maiori, quam proxime ad Bantamum ciuitatem situs) in conspectum acceperunt.

Perueniunt ad montem Piperis.

Circa vesperam tempestatem experti sunt cum tonitruis & coruscationibus maximam, ita, vt vela contrahere & anchoras in mare proiicere cogerentur. Sub medium autem noctis, magna iterum tranquillitas facta est, itaque leuatis iterum anchoris, naues sine velis, donec illucesceret, oberrare in mari passi sunt.

Die 14. vela sua iterum explicarunt, & cursum austrum versus direxerunt, venientes circa meridiem ad Insulam quandam, non longe à Iaua Maiore sitam, quam Longam vulgo vocant. Ad Insulam istam nauem quandam Solem dictam ab anchoris hærere videbant, ad classem Madelissii pertinentem, quæ ex pugna quam Madelifius iste ad Malaccam cum quatuordecim Lusitanicis nauibus inierat, huc confugerat, tam fœde tormentorum ictibus deformata, vt fere totam de nouo extrui necesse esset.

Perueniunt Bantamum

Circa meridiem ad Bantamum ciuitatem appulerunt, & iuxta exiguam Insulam, quam Cœmiterium Hollandorum vocant, vix ad sclopeti ictum ab vrbe distantem sese demiserunt, vbi Admiralis quidem tormenta maiora quinque, Viceadmiralis vero quatuor, & naues reliquæ tam Celoces quam onerariæ, singulæ tria exonerarunt. Eodem die iudicium de aliquibus, qui Aracca, potu nempe Lusitanico, quem ex Oryza conficiunt, inebriati, petulãtes sese & proteruos in freto ad Goeram gesserant, sumptum est. Pœna eorum fuit, quod tér in aquam dimissi, ad malum procumbere & plagas aliquot nudi accipere cogebantur.

Die 15. Amsteltodamum nauis, cum Pauone Celoce, mandatum acceperunt, vt Iaquetram & Crissam præcurrentes Araccam & Oryzam pro classe coemerent, ne naues reliquæ vbi eo aduenissent diu ibi subsistere & moram trahere cogerentur, sed commeatum suum accipere primo quoque tempore possent.

Naues quædam Iaquetram mittuntur.

Die *20.* scapha quædam ad Delphos nauẽ pertinens, quam ante aliquot dies per tempestatem ex classe amiserant, in portum ad Bantamum iterum appulit:

Iauæ Maioris descriptio.

Quod ad Iauam Maiorem attinet, in qua Bantamum ciuitas sita est, ea quidem regio pulchra admodum & fertilis est, piper, Oryzam, Saccharum, & alios fructus, Germanis nostr s plane incognitos, magna copia proferens suppeditat, & B balo ,vacca , capras, oues, anseres, gallinas, & id genus alia; quæ tolerabili precio emuntur.

Bantami ciuitatis descriptio.

Bantamum ciuitas, centum & septuaginta miliarib. à Goera distat, estque locus vbi Hollandi merces suas, quas per totam Orientalem Ind am coemunt, deponere & conuehere solent, itaque naues omnes ex Hollandia venientes ibi appellere cogu tur, nec vlla præternauigare audet, quin responsum & instructionem suam, quid porro facere, & quo cursum vertere ad accipiendas merces debeat, ab Hollandorum procuratore acceperit. Sed & Chinenses Bantami commercia tanta quanta vllibi per vniuersam Indiam exercenr, duabus enim vicibus Iunccæ seu naues Chinenses ibi in anno appellunt merces varias ex China afferentes, quemadmodum etiam mille aliquot Chinenses ibi, diuitiis opibusq; multis affluentes, habitant.

Chinensium Bantami habitantium descriptio.

Chinenses isti flauo sunt colore per faciem & vniuersum corpus. Quidam reperiuntur etiam inter illos col re albo, nobis Germanis similes, sed omnes tam viri quam mulieres lata sunt facie, paruis oculis & simis incuruatisque naribus. Viri crines in barba raros admodum habent, ita quidem, vt numerari facile possint, & reperiuntur quam plurimi, quibus vix viginti aut triginta crines barbam integram constituunt, quod visu admodum mirabile & fœdum est, in capitibus vero omnes capillum habent longum & instar mulierum, passum colore piceo, quem in vertice capitis comprehensum nodo constringunt, reticulo ex setis equinis contexto, superimposito, & apte circum caput colligato Quod ad ornatum & vestitum corporis alium attinet, caligas plerunque longas laxasque ex linteo gossypino, albi cæruleive coloris, vel etiam ex serico factas gestanr, quæ ad pedes ipsis fere pertingunt, sed & tunicas ex eadem materia constantes laxas, indusiis fere nocturnis similes in superiori corporis parte induunt, & in pectore multis ligulis constringunt. Populus alioqui artis mercatoriæ peritissimus, & tanta subtilitate dexteritateque in parandis rebus variis præditus, vt vix toto Romano Imperio inueniantur, qui æmulari eorum opera possint, interim autem lasciuiæ & fornicationibus scortationibusque toti dediti.

Forum Bantami frequens & elegans.

Commercia ibi quotidie varia à variis peregrinis nationibus, vtpote à Turcis, Arabibus, Gusarattis, Persis, Syris, Malaccis, Ægyptiis, Iapponibus & aliis exercentur. Et quidem nundinationes ibi singulis diebus binæ habentur, ad quas populus tanta frequentia confluit, vt singulis vicibus, ad triginta hominum millia, commercia inuicem emptionum & venditionum exercentium, in magno Basare quod forum ciuitatis publicum est, reperiantur. Quin imo, quam diu nundinationes istæ, (quæ, vt dixi bis in die, matutino nempe & vespertino tempore habentur) durant, plateæ omnes tam copiosis hominibus frequentantur, vt vix magno labore transitum tibi parare possis. In magno autem Basare seu foro isto omnia tam eleganter & apte disposita & distincta sunt, vt ordinem tam decentem in populo isto barbaro merito mireris. Principio enim Collybistæ seu Nummularii, inde Gemmarii, post Sericarii, tabernas suas habent, porro ad Aromatopolas, & sic consequenter ad fru-

ad fructuum, merciumque quarumcunque aliarum venditores peruenitur.

Incolæ autem Bantamenses, vt & passim per vniuersam Iauam Maiorem habitantes indigenæ iracundi sunt admodum & vindictæ cupidi, ita, vt, vel ob vnicum verbum, imo ob aspectum solummodo minus gratum & iucundum, alter alterum Crissa seu pugione confodere minime dubitent. Quin exiguo precio redimere aliquem & subornare ibi quis potest, vt alterum sibi forte inuisum interficiat & è medio tollat, tametsi enim sciant, si in facinore isto comprehendantur, certo moriendum sibi esse, nihil tamen id curant, vitam suam exiguo lucello postponentes. Nullum ibi, nec puerum minimum inuenias, qui non Crissam siue pugionem à tergo dependentem secum circumferat. Corporibus autem nudis tam viri quam mulieres incedunt, præterquam quod fascia siue linteolo gossypino intermediam corporis partem, ad pudenda nonnihil contegenda præcingant. Statura omnes exigua præditi sunt, colore Spadiceo, superstitionibus Mahumeticis addicti.

Bantamensium incolarum descriptio.

Rex qui ciuitati Bantamo & parti etiam Iauæ Maioris imperat, iuuenis adhuc admodum erat, videbatur enim vix sedecim vel septendecim ad summum annos natus, incedit æque, vt subditi eius toto corpore nudus, nullo auro vel alio cultu ornatus, præterquam quod fasciam seu linteolum gossypinum coloratum pudendis instar aliorum obuolutum habeat, & in capite pileolum gossypinum albi coloris gestet, qui quidem magni à subditis æstimatur, quamuis Hollandorum nemo eum vnico Imperiali redemisset, causa autē cur tanti æstimetur, est, quod Rex manibus propriis pileolos istos ipsemet conficiat, inde enim tam grati nobilibus existunt, vt vel quingentis vel sexcentis Imperialibus vnum redimant, & ita coemptum inter res preciosissimas asseruent.

Regis Bantamensis descriptio.

Bellum tum temporis, cum Hollandi cum classe sua aduenirent, Rex gerebat aduersus procerum suorum aliquem, nempe aduersus Admiralē maris eius loci, & vterq; cum ingenti multorum millium armatorum exercitū in vrbe sese oppugnabant, tormentis, machinisque muralibus & sclopetis plurimis in plano campo hinc inde breuissimo ab inuicem interuallo dispositis, vbi muricibus vias omnes infestas reddiderāt, ne excurrentes machinas alter alteri abducerent. Quandocunque igitur lubebat, displosis vtrinque tormentis, magnoque excitato clamore, in pugnam proruebant, sed tormentis damnum nemini inferebant, nimis enim ea eleuarant & ita disposuerant, vt aerem potius quam hostem ferirent. Hollandis quidem licebat, quamdiu ibi hærebant, ad castra vtriusque partis pro libitu accedere, & omnia intueri atque perlustrare. Tametsi enim Rex apud Admiralem instaret, vt arma suis coniungeret, & in oppugnando hoste suo operam sibi præstaret, tamen id ipsi denegabatur, hac moderatione & excusatione addita, se quidem in regiones illas non venisse, vt bellum aduersus incolas quoscunque gererent, sed, vt amice cum omnibus, quo ad eius fieri posset, agerent, commercia cum incolis tractarent. Omnes autem vrbis incolas se agnoscere amicos, nec cuiquam damni quid inferre posse. Hoc responsum omnibus placuit, qui id etiam dederunt operam, vt dum adhuc præsentes ibi Hollandi essent, pax inter eos componeretur, idque hac conditione, vt aduersarius Regis, Admiralis nempe maris eius loci, cum sex vel octo millibus, qui Regi omnes rebellauerant, ex vrbe discederet, & Iaquetram, quod

Rex Bantami aduersus procerū suorum aliquem in vrbe bellum gerit.

quod duodecim miliaribus inde distans oppidum est, se conferret. Cumque Iaquetra ad alium Regem pertineret, actum cum eo est, vt eos lubens in suam ditionem acciperet, atque ita pax tandem & tranquillitas vrbi restituta fuit.

Discedunt Bantamo.

Die 24. Admiralis tormentum aliquod exonerari curauit, quo facto naues omnes, Mittelburgo & Spe Celoce, quæ nuper ex Hollandia, vt supra dictum, venerat, & Bantamo Ternatem versus cum Mittelburgo naui excurrere debebat, visum quomodo res ibi se haberent, exceptis, anchoras suas leuarunt, & cursum suum versus Moluccas Insulas direxerunt. Circa vesperam autem Hollandia nauis in breuia & arenas delata, consedit, itaque tria tormenta exonerauit, vnde reliqui colligere potuerant, non bene cum ea actum esse, quare velis statim contractis ibi substiterunt.

Perueniunt Iaquetram.

Die 25. nauis ista Hollandia, accedente æstu maris à breuiis iterum liberata fuit, itaq; facta tormenti displosione signum reliquis dedit, quæ leuatis statim anchoris, cursum suum Septentrionem versus multas Insulas præteruecti direxerunt. Sequenti die cum horam vnam atque alteram progressi essent, summa tranquillitas facta est, fluctu igitur ipsis aduersante, anchoras proiecerunt, sed post horas tres, ventum iterum nacti commodum, subleuatis anchoris progressi sunt, & eadem adhuc vespera Iaquetram appulerunt. Est hæc elegans itidem vrbs, duodecim miliaribus Bantamo distans & cōmerciis Hollandorum addicta, qui semper ibi procuratores & mercatores suos habent, commercia Hollandica, (cum multum ibi piperis, Oryzæ & Araccæ haberi possit) indesinenti studio promouentes.

Multi in classe ægrotare incipiunt.

Inuenerunt ibi nauem Amstelrodamum, quæ ante dies aliquot, vt dictum est præmissa, ab anchoris ibi hærebat, itaque iuxta eam sese demiserunt.

Die 27. multum Araccæ nauibus illatum est, qui potus quidem à Mercatore Amstelrodamensis nauis, pro vniuersa classe, antea coemptus fuerat.

Die 28. leuatis iterum anchoris, discesserunt, Amstelrodamum autem nauis ibi ab anchoris substitit, vt Viceadmiralem & Spem expectaret, cum quibus postmodo Ternatem excurrere debebat. Breui autem tempore isto, quo Bantamo abfuerant, multos ægrotos in omnibus nauibus acceperant, ita, vt in Vnita prouincia, vnica nempe naui, sexaginta quatuor ægroti numerarentur, idque omne insalutari auræ, qua vsi ibi fuerant, acceptum ferebant, nec tamen morbus iste admodum tenax & diuturnus erat, sed per tres quatuorve dies durabat, cum multo capitis dolore coniunctus. Cæterum Iohannes Verccius, ex cuius consignatione hanc nauigationem & historiam descripsimus, dysenteria tum correptus, ad quatuor septimanas decubuit, desperantibus de vita eius omnibus, tandem tamen sanitati iterum per gratiam Dei restitutus est.

Die 7. Martii nauis, cui Diabolo Delphensi nomen erat, nocte ex incuria & negligentia excubitorum & ad clauum sedentium, in puppim Vnitæ prouinciæ nauis proiecta est, vt damni inde vtraque non parum contraxerit.

Perueniunt ad Chrimmogauam Insulam.

Die 14. ad Insulam Chrimmogauam venerunt, quæ exigua Insula est, nullis hominibus habitata, miliaribus quinquaginta octo à Iaquetra distans, & in medio mari sita, quam Hollandi ad sinistram reliquerunt.

Die 15.

Die 15. Araccam cœperunt loco vini bibere & militibus pro potu ordinario exhibere. Sequenti autem die supremus eorum Medicus & Chirurgus, Achatius nomine, ex Leouartia oriundus, cum aliquamdiu dysenteria laborasset, mortuus est. Eodem morbi genere, die 17. etiam Nauarchus ex Hornia naui, itemque Signifer cohortis Selandicæ interierunt.

Die 18. cum panes subinde minuerentur, tres tantum panis libras in septimanam singulis præbere cœperunt.

Paulus à Carten Admiralis quidam Hollandicus ab Hispanis ad Terrantem capitur.

Die 19. nauis quædam exigua ex Moluccis Insulis, Draco nomine, ad classem venit, retulitque se Bantamum ablegatam esse, vt Hollandis ibi significaret Admiralem Hollandicum Paulum à Carten, qui integro anno cum dimidio ante hanc classem ex Hollandia cum classe quadam profectus fuerat, ad Ternatem, præcipuam ex Moluccis Insulam, in qua Rex omnium istarũ Insularum sedem suam habet, ab Hispanis, qui cum tribus millibus armatis ex Manelis Insulis, quæ ad trecenta inde distant miliaria, Hollandos oppugnatum venerant, in mari, cum in aliam quandam Insulam, non procul à Ternate distantem, velificationem facere voluisset, cum septuaginta duobus classiariis esse. Hispanos item oppido & arce Ternatensi per proditionem expugnatis, Regem ipsum captiuum Manelas abduxisse. Eius tamen filium iuniorem nempe Regem fuga euasisse, & cum maxima incolarum Ternatensium parte, apud Hollandos, qui castellum adhuc aliud, horæ fere vnius itinere ab oppido remotum possiderent, iam commorari.

Perueniunt ad Maduram Insulam.

Die 21. ad Maduram Insulam appulerunt, quæ pulchra quidem & fertilis est, copiosam Oryzam & fructus multos alios proferens. Distat autem à Chrimmogaua triginta sex miliaribus, & septendecim miliaria ambitu suo complectitur.

Die 22. Celox ista Draco nomine ab illis iterum discessit, cursu suo Chrissam versus directo, vt Celocibus ibi hærentibus significaret, classem iam præteriisse, debere eos igitur Oryzam Celocibus inferre & eam ad Bandam Insulam sequi. Sed & hoc officii Celoci huic demandatum erat, vt mercatores, qui Chrissæ tres annos manere & mercaturam ibi exercere deberent, eo deportaret, nam & ibi Hollandi negotiationes exercent, cum ex primariis totius Indiæ Orientalis locis sit, & à Chinensibus aliisq; multum frequentetur, qui vili precio merces suas ibi diuendunt.

Colligunt multam pluuiam, eamq; ad vsus necessarios reseruant.

Die 23. magnam ventorum pluuiarum & tonitruum tempestatem experti sunt, itaque hac die copiosam aquam pluuiatilem collegerunt & in futuros vsus asseruarunt, cum magnam iam aquæ penuriam naues singulæ sentirent, quæ nec Bantami, nec Iaquetræ aquam vllam hauserant, quod ea istis in locis putris admodum & fœtida minime salutaris reperitur. Nocte illa nauis cui Diabolo Delphensi nomen est, vna cum Lusitanica quadam naui, quam in freto Malaccæ ceperant, & magna aliqua scapha, tempestatibus disiectæ, & à classe separatæ fuerunt.

Die 24. durabat quidem etiamnum tempestas illa, sed ea circa vesperam cessante ad montem eleuatum admodum in finibus Iauæ Maioris sitũ peruenerunt. Huc vsque enim Iaua Maior se extendit, Insula nempe ad centum & quadraginta quinque miliaria in longitudine continens.

Perueniunt ad Balim Insulam.

Die 25. peruenerunt ad Balim Insulam, quæ pulchra itidem & fertilis Insula est, multis fructibus & commoditatibus aliis dotata. Distat à Madura Insula quadraginta miliaribus, & multis apris, Bubalis equisque ab-

undat. Montoſa eſt admodum, & duobus inter cæteros montibus altiſſimis conſpicua.

Deſcriptio populorum in Bali Inſula habitantium.

Qui Inſulam hanc inhabitant populi, ſtatura ſunt ſatis decora & conuenienti; nudi per omnia incedentes, præterquam quod intermedia corporis parte linteolo ſiue velamine præcincti conſpiciantur, fuſco omnino in facie & toto corpore colore. Regem habent, eumque magno honore proſequuntur, quando enim proficiſci ad locum aliquem conſtituit, in curru ſedens à duobus albis bubalis vehitur, comitante eum multo populo, qui plerique haſtis oblongis & coloratis, clypeis item & gladiis armati incedunt. Rex autem in curru ſedet multo auro gemmiſque conſpicuus, geſtatque in capite coronam auream, quod alias nulli Indianorum Regum familiare eſt. Nudus quidem toto corpore eſt, ſed adſtantem ſibi ſemper aliquem in curru habet, qui Cadurco ſiue tegmine eum ab æſtu ſolis defendat.

Vxores viuæ cum defunctis viris cremantur.

Homines iſti ſuperſtitionib. Mahumeticis minime addicti, ſed gentiles plane & ethnici ſunt, permiſſumque eſt vnicuique tot ducere & habere vxores, quot ſuſtentare potis eſt. Mos is autem apud eos eſt, vt viro aliquo defuncto, cadauer eius in rogum delatum comburatur. Accenſo autem igne adſunt ſtatim vxores eius, & viuæ ſe in eum præcipitant, vt cum viro ſuo crementur. Qui mos originem quidem inde traxit, quod mulieres olim in hac Inſula impudicæ admodum & ſupra modum laſciuæ fuerint, ita quidem, vt viros cupiditatibus ſuis ſatisfacere non valentes, veneno interficere & è medio tollere non dubitarint. Cum igitur malitia iſta nimis inualeſceret, imperatum à Rege conſtitutumq; fuit, vt vxores cum viris defunctis omnes comburerentur. Et hæc quidem conſuetudo vſque adeo inualuit, vt ſtricte etiamnum tam inter diuites quam inter pauperes ſeruetur. Edoctæ vero ſuo incommodo mulieres viros vnice obſeruant, eorumque curam agunt, vt ſi fieri poſſit, vitam eis quam diutiſſime conſeruent.

Equi & mulieres in Bali pulchræ.

Cæterum incolæ equitationibus & decurſationibus ſe crebro exercent, & modum ea in re ſatis elegantem mirabilemque habent. Equi autem quibus vtũtur humiles ſunt, vix aſinos magnitudine æquantes: carnoſos tamen & ſatis robuſtos, quorum Iohannes Verccius ipſemet non paucos ſclopeto confecit, & in cibum parari curauit. Inſula ipſa magnitudine & circumferentia ſua triginta continet miliaria, eſtque admodum populoſa & hominibus vndiq; inhabitata. Mulieres pulcherrimæ in hac Inſula omnium cenſentur, quæ ad ſexcenta miliaria reperiuntur, quam ob cauſam etiam ad trecenta vel quadringenta ſæpe miliaria diuenditæ inde abducuntur. Ingens certe earum numerus quotannis in Bandam Inſulam deuehitur, vbi ſexaginta vel ſeptuaginta ſingulæ Imperialibus veneunt, quin imo quæ pulchræ & tredecim vel quatuordecim annorum puellæ ſunt, centum ſæpe Imperialibus venduntur.

Perueniunt ad Balim inſulam.

Die 27. ad Iauam Minorem peruenerunt. Inſula ea itidem montoſa & ſcopuloſa eſt, quinque miliaribus à Bali Inſula diſtans multique in ea cerui & apri capiuntur. Non eſt autem tam fertilis & populoſa, vt Bali Inſula. Reperiuntur in ea quidem etiam equi, ſed non magna copia. Incolæ ſuperſtitionibus Mahumeticis ſunt addicti, & viri quidem defuncti in rogum itidem exponuntur & comburuntur, verum, vt mulieres viuæ ſe in ignem præcipitent, & cremari ſinant, id perſuaderi ipſis nulla ratione poteſt.

Die

Die 29. ad valde excelsum montem venerunt; quem ardentem vocant. Situs est is quidē adhuc in Iaua minori, sed tamen ad viginti octo ab initio Insulæ miliaria, nominaturque ardens propterea, quod die noctéq; perpetuo quasi ardens fumum flammasque euomat. Eodem hoc die Diabolus Delphensis nauis, ad classem iterum reuersa est, de naui autem Lusitanica, quemadmodum etiam de scapha, quæ cum ea fuerant, nihil cognoscere etiam num potuerunt.

Mons ardens in Iaua minore.

Die 30. peruenerunt ad promontorium, cui Cabo de ferre, vel Cabo des Gevvalchas nomen est, distatq; à monte ardente viginti miliaribus. Sequenti die peruenerūt ad promontorium aliud, quod Cabo des flores vocant, distatque à superiori sex miliaribus. Circa vesperam ad excelsum iterum & rotundum montem delati sunt, qui vna cum coniuncto ei colle solus in medio mari absque vlla circumiacente terra positus cernitur, numeranturque à Cabo des flores ad montem istum octo miliaria.

Cabo de ferre.

Cabo des flores.

Die 1. Aprilis ad montem adhuc alium excelsum admodum & forma rotunda conspicuum, qui æque, vt prior ille in medio mari solus positus est. Vocatur vulgo Teraltas, distatque à priori isto monte & colle, ad quem præterito die venerant, octo miliaribus. Eodem die præfectus classis Selandicæ Cappendicus nomine; quem tribunum militum Malaccæ fecerant, ex dysenteria mortuus est.

Mons Teraltas.

Die 17. ad rupem seu scopulum admodum excelsum in medio itidem mari, ab alia terra longe remotum, delati sunt. Scopulus iste viginti quatuor miliaribus à monte Teraltas distat, continet in circuitu iter dimidiæ horæ, habetque in vertice ingentem hiatum siue voraginem, vnde fumus perpetuo ignisque die & nocte absque vlla intermissione prorumpit, vt sine admiratione vel stupore potius eum intueri non possis. Hoc die Mercator quidam in Vnita prouincia naui, Theodoricus Arizsen nomine, patria Harlemiensis ex Hollandia mortuus est.

Scopulus in mari ardens.

Die 5. Bandam Insulam, quæ & ipsa ad Moluccas pertinet, in conspectum acceperunt. Cum autem vesperi non procul iam ab ea abessent, ingens tranquillitas facta est, vt ita per noctem istam & sequentem etiam diem, hinc inde oberrare & sine vento fluctuare cogerentur, ad tria fere miliaria retro acti.

Die 7. ventulum aliquem nacti sunt, sed plane cōtrarium, ita, vt fortiter ei obluctare necesse esset, quo die supremus eorum Naupegus Eccardus Iansonius nomine, dysenteria mortuus est.

Die 8. ventum iterum bonum & commodum nacti sunt, quare cursum suum recta ad Bandam Insulam direxerunt. Cumque in portum venissent, quatuor ibi naues inuenerunt, quarum vna Anglicana, reliquæ Hollandicæ erant, Haia nempe, quæ ante quinque fere annos ex Hollandia abierat, reliquæ duæ ad Pauli à Carten classem pertinebant, Banda nempe & Enchusa nomine. Quamprimum autem ipsis visæ essent, singulæ naues quatuor tormenta exonerarunt, quibus Hollandi in classe tribus ex singulis nauibus tormentis responderunt. Sed & Admiralis simulatque in portum venisset, septem eas displosionibus salutauit, cui naues istæ singulæ quinis responderunt, Anglicana tamen excepta quæ tormentum nullum exonerauit. Eodem die in Vnita prouincia naui iudicium habitum est de præfecto rerum capitalium, Iacobo Gronenburgio, natione Dano, idque eam ob causam quod die præterito, Aracca inebriatus, nauclerum conuitiis proscindere non dubitasset. Coactus igitur est ad

Perueniunt ad Bandam Insulam.

malum decumbere, & plagas à dimidia parte populi qui in vna naui erat accipere, quæ tantæ fuerunt, vt eas vix mense integro superare potuerit.

Descriptio Insularum Bandæ.

Quod ad Insulas Bandæ attinet, sciendum est septem eas numero esse, non procul ab inuicem distantes. Complectuntur enim toto suo circuitu vix decem miliaria, distantque à scopulo ardente, apud quem die mensis huius secundo fuerant, octoginta miliaribus. Præstantissimæ autem sunt totius Orientis, proueniunt enim in eis nuces myristicæ & folia nucum, quæ in nullo totius mundi loco crescunt, estque earum tanta copia, vt toti mundo sufficiant, possunt enim quotannis duæ ingentes, quingentorum vel sexcentorum onerum naues, nucibus ibi onerari. Nomina Insularum istarum sunt, Banda, Nero, Roseleio, Prilevvey, Puleron, Gunappi, & Bananas Insula, quæ inculta est, nullisque hominibus habitatur, reliquæ vero satis populosæ sunt, ita, vt ad decem vel duodecim millia in eis numerentur.

Coguntur aquã emere.

Die 11. nauis quædam, Sol magnus nomine, quæ ante quatuor annos cum Admirali Madelisio ex Hollandia soluerat, ad eos in portum venit, tribus tormentorum displosionibus Admiralem salutans, cui is displosione vnica respondit. Constituerant hac de aquam potabilem ab Insula Banda ad naues deferre, verum incolę hoc ipsis permittere nolebant, donec centum Imperiales, & duo vasa puluere tormentario repleta ipsis pro aqua ista persoluerent.

Die 14. Arnoldus Celox, quam *26.* Septemb. Anno superiori 1608. ad littus Coromandelium ablegarant, ad eos in portum reuersa est, septemque tormenta in gratiam Admiralis displosit, cui is tribus displosionibus respondit. Circa vesperam Falco etiam Celox, quæ *22.* Septemb. superioris 1608. Anni, ad Goam ab ipsis discesserat, in portum iterum ad eos reuersa est, & tormenta septem in Admiralis gratiam exonerauit, cui ipse vnica displosione respondit.

Die 16. Haia nauis, quam ibi in portu inuenerant, soluens inde Amboinam versus cursum suum direxit, Admirali tribus tormenti displosionibus valedicens, cui ipse vnica displosione respondit.

Admiralis in oppidum Ortattan proficiscitur.

Die 19. Admiralis cum Senatu militari in Bandam Insulam traiecit, & ad Ortattamum ciuitatem progressus est, comitantibus eum trecentis armatis, qui cum in terram descendissent, in duas sese acies distribuerunt, è regione domus Hollandicæ in qua Hollandi suos procuratores hactenus, commerciis promouendis intentos & destinatos, habuerunt, postea Admiralis cũ Senatu militari primatibus Ortattani & Londoræ quæ duo oppida vix dimidiæ horæ itinere ab inuicem distant conuocatis, petiit, vt populus tam ex ista quam ex vicinis etiam Insulis conuocaretur, habere enim se literas & mandatum à Comite Mauritio, ipsis prælegendas.

Incolæ ex Bandis Insulis conuocantur.

Hoc cum audiuissent medio inter Ortattamum & Londoram itinere tres pelues ex Orichalco & truncum quendam excauatum & cruda pelle instar tympani constratum, baculis pulsarunt, magnumque sonum excitarunt, quo facto multæ statim nauiculæ, quas Prauas & Carcollas vocant, vndique ex vicinis Insulis conuenerunt, Sabundaras & Orancheos, Magistratum nempe & præfectos Insularum vehentes, qui cum ministris & mancipiis subditisque suis armati in terram statim excensionem fecerũt, & Hollandis quam proxime sese coniunxerunt, ita, vt armis etiam ipsorum imminere & insidiari viderentur, vnde colligere statim potuerunt aliquid monstri eos alere, quamuis subinde amicos sese profi-

tentes

tentes, nihil mali Hollandos timere debere dicerent, quod Hollandi quidem audierunt, sed credere haud quaquam potuerunt in arma sua magis magisque intenti.

Cum igitur Admiralis cognouisset præcipuos quosque ex Insulis & oppidis cõuenisse, cum Senatu militari ex castris Hollandicis procedens literas Mauritii in patina argentea positas, sibi præferri curauit, sub cadurco siue tegmine quod quidam supra patinam istam gestabat. Adfuit autem statim Orancheus quidam, & Admiralem amice exceptum, cum comitatu suo sub ingentem arborem, vbi primarii isti Insularum præfecti cum subditis suis congregati, in circulo instar Sartorum Hollandicorum, pedibus suis diuaricatim infra se absconditis, ad ducentos consederant, duxit. Cum a. Admiralis in circulum istum venisset, in stragulo quodã ex foliis nucum Indicarum contexto sedere iussus est, vbi salutatis prius omnibus & honore debito vnicuique exhibito literæ istæ Mauritii apertæ & lingua Lusitanica primum, postea lingua Malaica à mercatore nauis quam magnum Solem vocari diximus, ipsis prælectæ & explicatæ fuerunt.

Hollandi propugnaculi extruendi in Insulis Bandæ copiam sibi fieri expetũt.

Hac quidẽ sententia; Comitem Mauritium ab Hollandis mercatoribus, qui sexennium fere iam & amplius in Insulis istis hærentes, tam cum incolis ipsis, quam cum aliis populis, qui ex locis variis cum Oryza, Sage, (panes sunt Indici ex contuso ligno pisti) gallinis, capris & aliis id genus rebus eo aduenire solent, commercia exercuerint, & pro obtinendo, vt nucum myristicarum foliorumque commerciis soli fruerentur, nec aliis præterquam solis Hollandis, nuces ab incolis venderentur, iure, ingentes hactenus sumptus fecerint muneraque non exigua erogarint, cognouisse promissis suis incolas haudquaquam stare, sed & nuces istas aliis diuendere, & Hollandos iniuria sæpe maxima afficere, petere igitur & velle, vt Hollandis permittant, castellum aliquod in aliqua Insula vnum istarum, loco nempe qui ipsis maxime oportunus videbitur, excitare, non quidem, vt detrimentum aliquod & incommodum incolis inde fieret, sed vt sese & vniuersam istam regionem ab aduentantibus forte Lusitanis tueri & defendere possent, interim tamen debere ipsis Hollandos pro loco, lapidibus & omnibus ad structuram istam pertinentibus, abunde satisfacere, ne qua in re molesti incolis fuisse dicerentur.

Incolæ Insularum Bandæ, iram aduersus Admiralem concipiunt.

Lectis literis, ingens inter eos tumultus extitit, commotisq; animis omnes Hollandos, (quemadmodum paulo post re ipsa experti sunt) trucidare & opprimere statuerunt, sed à vi tamen sibi temperare & abstinere, tum quidem cogebantur, quod scaphas Hollandorum, in littore tormentis aliquot armatas hærere scirent, constitutis iuxta machinas singulas, cum fumigante funiculo tormentariis, vt suæ suorumque præfectorum vitæ timere quam maxime cogerentur, maxime cum scire non possent, quis classiariorum Hollandicorum, qui confertim in acie stabant, numerus esset, putarentque aliquot millia ipsorum, (vt ex propria ipsorum confessione postmodo patuit) adesse. Quæ causæ quidem fuerunt conseruati tum temporis Admiralis, sine illis enim si fuisset, proculdubio omnes periissent, nec difficile hoc ipsis fuisset, nisi Deus malum istud clementer auertisset & prohibuisset, cum incolarum eo tempore ad quatuor millia ibi adfuerint. Cæterum habito inter se sermone, responderunt Admirali, debere eum hac quidem vice ad naues iterum cum suis concedere, se quidem cum reliquis Insulanis rem communicaturos,

& post triduum responsum ei daturos. Itaque Admiralis tympanum iterum pulsari iussit, moxq; consurgens ex circulo ipsorum ad scaphas suas, naues repetiturus descendit, Insulanis itidem ad Carcollas & Prauas, nauiculas nempe suas sese conferentibus & ad insulas oppidaque sua singulis se recipientibus.

Incolæ Bandæ locum Hollandis ad extruendū propugnaculum denegant.

Die *22.* Insulani responsum Admirali huiusmodi dederunt, quod nempe nullo modo locum petitioni ipsorum dare vellent, sed ad internecionem potius cum Hollandis pugnare, quam locum ipsis ad extruendum castellum aliquod concedere, decreuissent, Quo accepto, ad pugnam sese in nauibus præpararunt, vt ad *25.* armati in terram descenderent & prælium cum ipsis inirent, quemadmodum eadem adhuc vespera, nauis vna cum duabus Celocibus sub Neronem Insulam quam proxime, vt per eam classiarii pro libitu vagarentur, accessit.

Insulani faciunt Hollandis copiam castelli ad Neronem Insulam extruendi.

Die *24.* Insulani quidam ad Admiralis nauim aduecti, petebant, vt sibi adhuc tres dies permitterentur, quibus deliberarent, pugnam ne inire cum Hollandis, an vero petitioni eorum locum dare præstaret, cum enim viderent, Hollandos cum nauibus suis quam proxime ad terram accedere, facile quid consilii ipsis esset, colligere poterant. Ad petitionem vero eorum responsum ipsis est, tempus nullum ipsis concessum iri, decreuisse enim se, sequenti statim die excensionem facere, & eos vi armata aggredi, nec repugnare se quin fortunam suam itidem experirentur. Hoc accepto responso ad littus abierunt, paulo post autem reuersi referebant, vtilius visum Insulanis à pugna abstinere, & Hollandis castelli in Nerone Insula extruendi copiam potestatemque facere, quod permittere etiam hoc ipso ipsis velint.

Hollandi ad Neronem Insulam traiiciunt castellum ibi extructuri.

Die *25.* Hollandi cum sex militum cohortibus, quarum singulæ ex centum & quinquaginta armatis constabant, ad Neronem Insulam aduecti sunt, cumque eo venissent, duo oppida Neronem & Radam plane desolata & hominibus vacua inuenerunt, incolæ enim omnes ad alteram Insulæ partem discesserant, itaque Hollandi in stationes distributi, excubias vndique agere cœperunt.

Die 3. Maii ingens in Insula ista terræmotus factus est, ita vt terra omnis tribus vicibus concuteretur. Verum Hollandi postmodo cognouerunt, nihil id noui aut insolens isthic loci esse, sed quotannis commotiones istas aliquoties ibi fieri solere.

Incolæ Insulæ Neronis cupiunt cum Admirali transigere.

Die 4. Maii fundamentum futuro castello in Nerone Insula iactum est.

Die 11. Enchusa nauis cum Falcone Celoce, inde soluens, Amboinam versus iter instituit.

Die *21.* Insulani ad Admiralem miserunt, petentes, locum sibi nominari, vbi cum Admirali & senatu militari conuenire, & de offensis omnibus transigere possent.

Die *22.* Admiralis cum aliquibus ex senatu militari, horæ dimidiæ itinere ab inchoata nuper structura sua, quam proxime ad Radam oppidum, (quod tum temporis ab habitatoribus, qui ad alia istius Insulæ oppida discesserant, plane vacuum erat) sub ingentem arborem, in ipso littore conspicuam, centum & quinquaginta militibus comitatus, processit. Cum autem eo venisset, & in medio constitutus armatos plurimos secum haberet, Fiscalis quidem cum submercatore societatis Hollandicæ, assumptis tribus pueris & vno Adsistēte siue socio, linguæ Malaicæ gnaro,

obsides

obſides ad inſulanos in oppida vbi ſe detinebant miſit, petiitque, vt aliquos ex Magiſtratu ipſorum ad ſe cum poteſtate plenaria de omnibus tranſigendi mittere vellent.

Cum igitur Fiſcalis cum adiuncto ſibi comitatu Kiacum veniſſet, & ſub arbore eos præſtolari Admiralem ſignificaſſet, ipſi Adſiſtentem ad Admiralem remiſerunt, & vt ad Sabandaras Orancheoſque ſiue primates inſularum non procul inde in ſyluula quadam congregatos venire Admiralis dignaretur, petierunt, addita excuſatione, quod etſi ad eum ſub arborem venire libenter vellent, aliqui ex eorum numero eſſent, qui vim Admiralis pertimeſcentes, ne à militibus comprehenſi male mulctarentur, metuerent. Admiralis igitur hoc audito cum Senatu militari ſtatim ſurrexit, & periculi nihil metuens aſſumptis tantum duobus tormentariis, duobuſque pueris aliis, ad eos in ſylua congregatos abiit, imperans militibus, vt arma ſua obſeruarent, reditumque ſuum eo in loco expectarent.

Admiralis ad Inſulanos in ſyluam proficiſcitur.

Cæterum cum vix ad quadrantem horæ ab eis abfuiſſet, ingentem milites clamorem ſemel atque iterum in ſylua editum, & binas tormentorum diſploſiones factas audierunt, qui ſiniſtri ſtatim aliquid ſuſpicati, Iohannem Verccium, cum ſex ſclopetariis ſyluam adire & quid rerum ibi ageretur, videre iuſſerunt, quod ab ipſis quidem etiam continuo factum eſt.

Admiralis & alii ab Æthiopibus trucidantur.

Cum autem vix ad triginta paſſus in ſylua progreſſi eſſent, aliquot ſtatim centeni Æthiopes armis inſtructi inſultum in eos fecerunt, itaque Iohannes Verccius cum hoc vidiſſet, diſploſiones ſtatim in eos fieri, & milites ad arma conclamari iuſſit, quo facto Cronenburgius cum militibus auxilio eis venit inque ſyluam irruit. Antequam autem eos aſſequi poſſent, Æthiopes quidem duos ex ſeptem illis trucidarant, quin & Verccius ipſemet iaculo ſeu haſta miſſili, in caput percuſſus, & leuiter vulneratus fuerat, poſtquam autem milites Hollandi omnes adueniſſent, fortiſſime in eos mouerunt, qui perterrefacti admodum in fugam ſeſe coniecerunt, Hollandis eos celeri curſu & non ſine multo eorum damno inſequentibus, quamuis Hollandorum in hoc conflictu non plures quam duo iſti ſupra dicti, Iohannis Verccii Comites, ſexque præterea alii occubuerint, & quinque vel ſex vulnerati fuerint. Cum autem Hollandi iam aliquandiu Æthiopes perſecuti eſſent, tandem ſub ingentem arborem venerunt, ibique Admiralem ſuum cum ſenatu militari, tormentario milite & duobus pueris, Adſiſtenteque eis ſocio, trucidatos repererunt, alter autem tormentarius miles fuga elapſus fuerat. His viſis milites admodum perterrefacti ſunt, cumque viderent, Æthiopes iſtos agiliores eſſe, quam, vt omnes aſſequerentur, illis omiſſis, Admiralem & reliquos in humeros ſublatos ad inchoatum ſuum caſtellum ſiue propugnaculum detulerunt.

Æthiopes Admiralem & Grunmagium Delphenſem capitibus truncarant, eaque ſecum abſtulerant. Interfecerant vero eodem die etiam nauclerum Vnitæ prouinciæ, itemque nauclerum magni Solis nauium, qui ſeſe recreandi gratia in ſyluam abierant, quemadmodum eodem die etiam ad viginti quatuor miniſtros nauticos trucidarant, qui in ſyluam nuces allatum abierant, ita, vt interfectorum numerus qui eo die ab Æthiopibus cæſi fuerant, ad quadraginta duas perſonas aſcenderit.

Hollandorum quadraginta duo caſi.

F 4 Die 23.

Fiscalis Hollandorum ab Æthiopibus trucidatur.

Die 23. Hollandi cum quatuor cohortibus ad Ciacum ciuitatem profecti, Fiscalem suum vna cum submercatore & tribus pueris trucidatos inuenerunt. Postquam igitur præliati paululum cum Aethiopib. fuissent, in quo quidem prælio vnus cæsus & tres vel quatuor vulnerati fuerunt, ad castellum iterum reuersi sunt. Accipiebant autem eodem die nuncium de mercatoribus & procuratorib. suis in Banda & Puleuai ab Insulanis comprehensis, & post multos, quos perferre coacti fuissent, cruciatus, tandem misere interfectis, itaque irati admodum hostiles literas 24. die ad omnes istas Insulas ignem & gladium incolis denunciantes miserunt.

Die 29. miles quidam in Vnita prouincia naui, nomine Nicolaus Reinholdus, natione Ditmarsus mortuus est.

Hollandi incendia passim omnia vastant.

Die 30. cum duabus militum cohortibus ex castello erumpentes, horæ vnius itinere omnia incendio deformarunt & vastarunt, Iunquis, Caracollis & prauis nauibus scilicet Insulanorum quas in littore passim reperire poterant omnibus accensis.

Hollandi Iunquam in mari capiut.

Primo Iunii die Arnoldum Celocem Amboinam & Ternatem ablegarunt, vt de proditione ista nefaria Hollandos ibi subsistentes edoceret.

Die 6. Minister quidam nauticus, in Vnita prouincia naui, Iohannes Libranus nomine, natione Anglus mortuus est.

Die 12. nuncio de Iunqua quadam naui, in mari accepto, scaphas quasdam eam expugnatum ablegarunt. Cum autem ad eam venissent Aethiopes ad arma conuersi deditionem facere recusarunt, perieruntque in pugna ista nauali, quatuor ministri nautici, duo ad vnitam prouinciam, & duo ad Roterodamum naues pertinentes. Hollandi tamen tandem Iunqua potiti, eam exoneratam accenderunt, Aethiopibus quinquaginta in ea trucidatis.

Castellum Nassouium in Nerone Insula excitatum.

Die 13. castelli structura ad finem ferme perducta fuit, itaque ex vniuersa classe duæ cohortes, ducentis militibus constantes, præsidio ei datæ fuerunt, præfecto eis Henrico Cronenburgio, Legato, Iacobo Wigando, Signifero Matthia Henrici, & tribunis, Iohanne Verccio, Guilielmo Anglo, Henrico à Segen, & Iodoco Ioritio attributis. Castellum Nassouium dictum est Gubernatore Iacobo de Pitter Harlemiensi designato.

Die 14. miles quidam in Vnita prouincia naui, Paulus à San Margretha nomine, mortuus est.

Die 16. nouus ille nauclerus in modo dicta naui, qui 23. Maii, priori in sylua trucidato successerat, vt & sequenti die supremus vietor in eadem naui mortui sunt.

Banda nauis nucibus myristicis onerata domum repetit.

Die 17. nauis Banda, multis nucibus myristicis & nucum foliis onerata inde soluit, velificatione in Hollandiam directa.

Die 21. minister nauticus in vnita prouincia naui, Bernhardus Noemannus nomine mortuus est.

Die 22. circa secundam noctis horam terræmotus iterum in Nerone Insula animaduersus fuit.

Die 23. miles classiarius in vnita prouincia, Christianus Laurentius nomine, patria Hafniensis, exauctoratus & infamis factus est, idque eum ob causam, quod cum à Legato militum ob delictum aliquod vreberibus plecteretur; reluctari ei non dubitarit, itaque gladius eius eo in-

eo inſpiciente confractus, & ipſe compedibus vinctus in cuſtodiam datus eſt.

Die 30. Henricus Cronenburgius præſidiariorum caſtelli præfectus mortuus eſt.

Henricus Cronenburgius præfectus caſtelli moritur.

Die 4. Iulii, duo milites, vna cum Subchirurgo ſiue tonſore, & adſiſtente quodam in vnita prouincia naui mortui ſunt.

Die 8. Iulii, Iacobus Theodoricus Pautus, qui legatum cohortis Selandicæ egerat, præfectus præſidiariorum caſtelli, in locum defuncti Cronenburgii factus eſt, cumque legatus præſidiariorum Iacobus Wigandus, nouo iſti præfecto iuramentum præſtare grauaretur, ab officio remotus eſt, nomine eius ex libro plane deleto & expuncto.

In locum autem eius Signifer Matthias Henricus ſuccedens, legatus præſidiariorum, & Iohannes Verccius Signifer factus eſt. Cæterum quæ reliquo tempore, quo ibi fuerunt, acciderint, quomodo nempe Hollandi Inſulanis propugnacula & munitiones omnes in Nerone Inſula eripuerint, quomodo item oppidum aliquod in Banda Inſula Comboram nomine, vbi aquam potabilem initio, vt ſupra dictum eſt, emerant, expugnarint, item quomodo Inſulani cum Hollandis tranſigentes, pacem fecerint, ſed pactis tamen minime ſteterint, quid item Hollandis, donec cum claſſe iſta domum redirent, reliquo nauigationis tempore acciderit, ea omnia, in peculiari quadam relatione alia deſcripta, lectori propediem etiam, volente omnipotente Deo, communicabuntur.

Iohannes Verccius Signifer eligitur.

FINIS.

ICONES,

OMNIA, QVÆ MEMORATV MAXIME DIGNA IN HAC NAVIGATIONE CONTINENTVR, QVÆQVE TAM HOLLANDIS QVAM LVSITANIS aliisque populis acciderunt, ad viuum repræsentantes;

TABVLIS ALIQVOT EXIMIA DEXTERITATE in æs incisis declaratæ & illustratæ,

Opera & studio,

IOHANNIS THEODORI DE BRY.

FRANCOFVRTI,
Ex officina Typographica Wolffgangi Richteri.
M. DC. XII.

LECTORI BENEVOLO S.

TAMETSI, Lector optime, nauigatio hæc descriptione non vsque adeo prolixa constet, multis tamen historiis illustrata & repleta deprehenditur, nec abs re forte fuisset, tabulam aliquam Cosmographicam, ex qua situm locorum istorum omnium, totiusq; cuius in ea mentio facta est tractus, oculis intueri & perspicere potuisses; appone-
Quandoquidem autem in memoriam nobis reuocauerimus, quod
bulam eiusmodi Cosmographicam superioribus annis confecerimus
tomo tertio Indiæ nostræ Orientalis adiunxerimus, Lectorem qui-
m ad eam, ne actum ageremus, remittendum duximus; vbi similiter
pressas Ciuitatis Goæ & fori Bantamensis icones atque effigies be-
uolus Lector inueniet. Cæterum quod ad Mozambiquen, itemque
n Helenæ Insulas attinet, cum earum in hac nauigatione descriptio,
ulo quam in superioribus Tomis prolixior & vberior contineatur,
rum quidem expressas effigies & icones, quin hic apponeremus, inter-
ittere non potuimus; Lectorem, vt studium nostrum boni consulat,
aiorem in modum rogantes.

I.

DELINEATIO MIRABILIS CVIVSDAM ARBOris in Insula El ferro repertæ.

INTER *Canarias Insulas quædam est, El ferro dicta, aqua dulci & potabili plane destituta, ne tamen penuria eius hominibus reliquisque animantibus exitio sit, Deus defectum eius ita suppleuit. Reperitur in Insula arbor quædam ingens admodum & procera, ea nube obscura perpetuo inuoluta & contecta latet, vnde folia tantum contrahunt humoris, vt aquam perpetua destillatione sudent atque profundant. Itaque incolæ vasa omnis generis vel ramis appendunt vel sub arbore collocant, vt aquam inde excipiant, & ad vsus necessarios adhibeant, quod quidem miraculum Dei non exiguum existimandum est.*

II. DELI-

II.

DELINEATIO PROMONTORII, QVOD CABO de bona Eſperanca vulgo vocatur.

CAPVT bonæ ſpei extremitas eſt terræ, à continenti Africæ regione, ad quinquaginta vel ſexaginta miliaria in mare excurrentis, pericula multa, à latentibus & abſconditis in vndis ſcopulis aduentantibus nautis obiiciens. Frigus ibi ad ducenta miliaria cis & trans propugnaculum, tam intenſum, furentibus ſubinde niuibus imbribuſq; deprehenditur, vt vini aduſti hauſtulo ibi vti & aduerſus vim eius ſeſe præmunire, nauigantes oporteat. Mare eius loci multis herbis, quas Trombas vulgo vocāt, natatur, eſtque herba iſta arundinibus noſtris quas algas marinas vocant, non abſimilis, niſi quod longitudine ad tres vel quatuor Orgyas excreſcāt, & latitudine brachium virile adæquent. Eſt etiam ingens ibi volucrum nigro colore roſtriſque candidis præditarum copia, qualium nuſquam alibi prouentus reperitur.

III. OB-

III. OBSIDIO VRBIS ET CASTELLI Mozambiquenſis.

HOLLANDI cum ad fines oraſque Moſambiques veniſſent, decreuerunt vrbem & arcem ſiue Caſtellum Luſitanorum ibi oppugnare, moxque ad mille armatos in terram expoſuerunt, qui vrbem quidem nullo negotio, reluctante ſcilicet & repugnante nemine occuparunt. Ea ſatis magna muris firmiſſimis munita, ædificiiſque muratis exornata erat, quin & multis nō infimæ ſortis Luſitanis habitabatur, quemadmodū id vel inde colligere facile erat, quod tametſi precioſiora quæque ad Caſtellum ſecum incolæ traduxerāt, non exiguas tamen adhuc opes & diuitias Hollandi ibi reperirent. Quamuis vero paratis foſſis & munitionibus, iam Caſtelli mœnia tormentis quatere & oppugnare Hollandi ſtrenue cœpiſſent, cum tamen non ſolum firmum admodum & munitum deprehenderetur, ſed tempus etiam moram ibi diutius trahere non permitteret, obſidione tandem ſoluta ad naues redire, oppido pagiſque aliquot aliis igne deletis, coacti ſunt.

IV.
HOLLANDI A CÆSARE CALECVTENSE præclare admodum excipiuntur.

POSTQVAM Hollandi Calecutum aduenissent, multi statim ad naues incolæ, fructus varios, cibaria item & res preciosas alias nauigiis vehentes aduolarunt, cum regio maxime ista pecoris fructuumque & aromatum, nec non aliarum rerum diues admodum deprehendatur. Cæsar autem missis quamprimum ad præfectum Hollandicum legatis, vt ad se in arcem suam veniret, eum rogauit, qui ducētis circiter militibus stipatus eo profectus est, Cæsaremque duobus tormentis æneis 2500. librarum, vna cum aliis preciosis muneribus, Comitis Mauritii nomine, donauit. Cæsar iste potens admodū est; multis populis regnisque imperans Reges sibi subiectos centum & amplius habet, potestq; breui tempore ad decies centena millia in aciem producere. Præfectum Hollandicum præclare admodum excepit, & multa Sacchăro condita aromata, quæ vxores eius ipsum comitatæ portabant, inter classiarios milites propriis manibus distri buit.

V.

FOEMINÆ CALICVTENSES DEMORTVIS maritis in ignem ſe præcipitant.

INCOLÆ Calicutenſes ethnici omnes ſunt & gentiles, Solem & Lunam, quinimo Diabolum ipſum adorantes. Cum vir quidam ibi moritur, cadauer eius in rogum delatum comburitur & in cineres redigitur, cineres vero iſti in vaſculum colliguntur, inque domum defuncti iſtius viri relati, precioſiſſimi theſauri loco habentur atque aſſeruantur. Vna autem ex vxoribus eius, quam præ cæteris charam in vita habuit, octauo vel decimo à morte eius die prandium inſtruit, & cum amicis familiaribuſque ſuauiter conuiuatur, finito prandio ad locum cum amicis, vbi interim ingens ignis extructus eſt, procedit, ſalutatisque illis, in ignem læta proſilit, amorem ſuum erga maritum defunctum hac ratione comprobatura, quod ipſum ab aſtantibus & tripudiantibus amicis in honorem & beatitudinem ipſi reputatur.

VI LVSI-

VI.
LVSITANI AD MALACCAM AB HOLLANDIS IN FUGAM AGUNTUR.

POSTQVAM Hollandi Malaccam venissent, excensione ad exiguam Insulam, Ile de Petro dictam & dimidio miliari à Malacca distantem, facta, scaphas quasdam extruere & ædificare cœperunt, constitutis in excubiis centum classiariis militibus, qui ab insultu hostium fabros lignarios tutarentur. Videntes autem hoc Lusitani ex ciuitate Malacca cum quinque triremibus & multis minoribus nauigiis, ad Insulam istam Hollandos in opere isto oppressuri & interfecturi processerunt. Verum cum in terram descendissent, ab Hollandis ita excepti sunt, vt magno iterum impetu ad naues proruerint, & amissis ducibus aliquot primariis, fugam statim arripuerint.

VII. REX

VII.
REX GOERENSIS QVOMODO AD NAVES Hollandorum profectus sit.

CVM Hollandi Goeram venissent; à Rege istius loci amice admodum excepti sunt, qui multis et triremibus & nauigiis, cum insigni vxorum suarum, fratris item & filii sui comitatu, semel atque iterum, ad naues eorum aduectus & ab Hollandis liberaliter lauteque habitus est. Triremis qua ipsemet vehebatur; pulchre admodum adornata, & quatuor ingentibus aureis columnis, tegmini sustinendo destinatis conspicua erat. Admiralis vero siue præfectus Hollandorum, elegantem ei vestitum, qualis apud Germanos in vsu est, Comitis Mauritii nomine Regi donauit, qui in eius gratiam eum statim etiam, dum in naui adhuc esset, induit.

VIII. DELINEATIO CIVITATIS Bantamensis.

HOLLANDI stationem suam totius Indiæ Orientalis præcipuam Bantami habent, nec vlla nauis Hollandica vrbem istam præternauigare audet, quin ibi appellat & quo cursum suum, vt merces expetitas accipiat, vertere imposterum debeat, ex Generali Hollandorum, qui ibi residet, Procuratore cognoscat. Est autem hæc vrbs omnium mercimonia quidem in India Orientali exercentium quasi metropolis maxima, vnde etiam multis peregrinis nationibus, vtpote Chinensibus, Turcis, Arabis, Persis, Ægyptiis, Iapponibus & aliis frequentatur. Forum ibi nundinarium publicum singulis diebus binis vicibus, matutino nempe & vespertino tempore habetur tanta hominum frequentia, vt ne vnum quidem forum transeat, quin ad triginta hominum mercaturam inuicem exercentium millia, in eo numerare possis, mercibus omnis generis per tabernas tam conuenienti & decenti ordine dispositis, vt admirationem maximam res ista mereatur.

IX.

REX BALIVS PRECIOSISSIMO CVRRV ab albis Bubalis circumuehitur.

REx Balius à ſubditis ſuis in magno honore habetur, qui eum in precioſiſſimo curru duobus albis bubalis circumuehunt, & magno numero haſtis, clypeis gladiſque armati comitantur, ipſe autem in curru multo auro & gemmis ornatus ſedet, coronamque in capite geſtat auro gemmiſque nitentem, quod apud nullum alium Regem per totam Orientalem Indiam reperitur. Quin & aſſiſtentem ſibi miniſtrum habet, qui cadurco ſeu tegmine caput corpuſque eius obumbrat & à feruore Solis defendit. Subditi equitando etiam & decurſando ſeſe haud raro oblectant, equos enim habent plurimos, magnitudine tamen ſua aſinos noſtros vix æquantes. Mulieres omnium quotquot ad ſexcenta miliaria in regionibus iſtis ſunt, pulcherrimæ cenſentur.

X.

PRÆFECTVS HOLLANDICVS INDIANIS ORTATtani & Londoræ habitantibus literas Comitis Mauritii exhibet.

CVM præfectus siue Admiralis Hollandicus Ortattanum venisset, Concionem haberi & primores plebis congregari petiit, qui tres pelues, & tympanum, siue truncum aliquem excauatum & cruda pelle instratum pulsare cœperunt, sonumque tam ingentem & terribilem dederunt, vt vndique in finitimis Insulis exaudiretur. Cum igitur præfecti Insularum cum subditis suis armati conuenissent, Admiralis quidem eos accedens, literas Mauritii Comitis in phiala argentea sub cadurco siue tegmine præferri sibi curauit, quem Insularum præfecti, sub ingentem arborem, vbi ducenti circiter Æthiopes congregati, in terram consederant, deduxerunt, atque ita literæ Mauritii ipsis, postquam Hollandi in tapetibus ex nucum Indicarum foliis contextis consedissent, eis lingua primum Lusitanica, postmodum lingua Malaccia prælectæ sunt.

XI. DELI-

DELINEATIO DVORVM OPPIDORVM, ORTATtani & Londoræ in Banda Insula sitorum.

EXHIBETVR tibi hac delineatione situs & commoditas Bandæ Insulæ, cum excelso monte siue scopulo perpetuum ardente, qui ibi visitur. Quin & duo hic videre poteris oppida, Ortattamum nempe & Londoram, quæ vix quadrantis horæ itinere ab inuicem distant, in quibus quidem oppidis, præfectus siue Admiralis Hollandicus literas Mauritii Nassouii, incolis magna cum solemnitate prælegi curauit.

XII.

HOLLANDI PROPVGNACVLVM SIVE CASTELlum aliquod in Neronis Insula ædificant, & ab Æthiopibus opprimuntur.

POSTQVAM *Hollandi ad Neronis Insulam venissent, propugnaculum ibi siue Castellum, vt à Lusitanis sese eo melius tuerentur, extruxerũt, repugnantibus omnino incolis, qui variis modis structuram siue opus istud turbare & impedire conati sunt. Cum vero vi summa proficere nihil possent, Admiralem tandem Hollandicum ad familiare colloquium inuitarunt, cumque is insidias nullas metuens, duobus Sclopetariis militibus & ministris pueris comitatus ad eos in sylua quadam congregatos accessisset, ipsi eum insidiis circumuentum & vndique cinctum occiderunt. Quin & multos classiarios, qui quæsitum eum postmodum emissi fuerant trucidarunt. Itaque irritati hoc tam nefario facinore Hollandi, facta ex castello eruptione, pagos circumiacentes & finitimos omnes totius horæ itinere, vna cum nauigiis incolarum in littore repertis, incendio vastarunt.*

F I N I S.

Aguada Velha
A. naõ Sa Maria
Souta Capitayna

Insula D. Helenæ sacra cœli clementia et æquabilitate soli ubertate et aquarum salubritate nulli secunda, sed inhabitata, hic receptus navium ex Or. India redē: tium: sita in altitudine 16. graduum, ad austrium lineæ æquinoctialis.
S.t HELENA ist eine Jnsel, so da. ligt vnder dem 16. Grad zum Suden, had einen Steden lieblichen Lufft, auch sus Wasser vnd allerleij erfrischendes Obs, der halben bequem den Schiffen so auf Ost Jndien komen, sich alda zu erfrischen.
Sta Helena
O gallião de Malaica
A. naõ Capitayna S. Xpuaõ.
A naõ nossa Sra da conçeçaõ
A. naõ Santa Craz

Insulæ et arcis Mocambique deschriptio ad fines Melinde sitæ ebano puriss, auro et ambare odorate affluentis hinc magnus seruorum numerus in Indiam abducitur.
H.Linschoten invent.
Eigentliche fuhrbildung der Insel Sampt dem Schloss MOSAMBIQVE So da liget am gestaden MELINDE mit dern gelegenheit
Terra firma
S.t Doms
S.t Jorge

Fortaresa velha
Cabaceira
Terra firma

SVPPLEMENTVM NONAE PARTIS INDIAE *Orientalis,*

Hoc est,

CONTINVATIO PRIORIS ITINERIS SIVE NAVIGATIONIS, AB HOLLANDIS ET SELANDIS IN INDIAM ORIENTALEM, SVB ADMIRALE

Petro Guilhelmo Verhuffio, cum nouem maiorum & quatuor minorum nauium claſſe, ab Anno 1607. vſque ad annum 1612. peractæ.

ADDITA COMMEMORATIONE OMNIVM, quæ ipſis porrò in Bandicis Inſulis & alibi acciderunt.

ACCESSERVNT COLLOQVIA LATINO-MALAICA, SEV VVLGARES QVÆDAM LOquendi formulæ, Latina, Malaica & Madagaſcarica linguis, in gratiam eorum, qui nauigationem fortè in Orientalem Indiam ipſimet ſuſcepturi ſunt, conſcriptæ.

Auctore

M. Gotardo Arthuſio Dantiſcano.

Omnia elegantiſſimis in æs inciſis iconibus illuſtrata & in lucem emiſſa, per

Iohannem-Theodorum de Bry.

FRANCOFVRTI,

Typis viduæ MATTHIÆ BECKERI.

M. DC. XIII.

SVPPLEMENTVM NONAE PARTIS INDIAE Orientalis,

Hoc eſt,

CONTINVATIO PRIORIS ITINERIS SIVE NAVIGATIONIS, AB HOLlandis & Selandis, ſub Admirale Petro-Guilhelmo Verhuffio, in Indiam Orientalem ſuſceptæ.

QVa ratione Hollandi Caſtellum ad Neronem Inſulam cũ magna non ſolum Admiralis ſui, ſed & militaris ſenatus, & multorum militum, quos Aethiopes miſere tricidarunt, iactura, extruxerint, ſub finem prioris partis dictum eſt. Quandoquidem igitur ibi ſimul etiam promiſerimus continuationem & ſupplementum nauigationis iſtius, quid nempè Hollandis porrò acciderit, & quomodo in Hollandiam iterum reuerſi ſint, in lucem itidem emittere, ſciat iam lector, Hollandos 15. Iulij Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum nono, cum duabus ſcaphis ad vrbem Aethiopum Labetaccam paulo antequam luceſceret, aduectos eſſe, vt eam præter incolarum expectationem oppreſſam, ſumma celeritate expugnarent & occuparent. Verum cum ad vrbem iſtam veniſſent, incolas omnes in armis inuenerunt, ab omnibus enim ciuitatis partibus ad partem littori obiectam confluxerant, iámque tormentis ſuis fulminare, & copioſo lapidum iactu repugnare acerrime videbantur, cum duæ Hollandorum cohortes, ſcapha altera ad latus deflectentes, & poſt montem perpetuo ardentem tranſeuntes, excenſionem fecerunt, vrbem ab altera parte aggreſſuri, ad quam cum ſine vlla reluctatione, incolis ad ripam digreſſis, perueniſſent, ruinoſa ibi magno ſatis hiatu patere mœnia depræhenderunt. Quare irruentes ſtatim à tergo incolas præter expectationem oppreſſerunt, qui tantum non exanimati metu, fugam ſtatim arripientes, in pedes ſeſe coniecerunt. At Hollandi in obuios quoſque ſæuientes, portam ciuitatis qua ripam ſpectat aperuerunt, ſociosque qui in ſcapha altera adhuc erant, in vrbem intromiſerunt, quo facto ſtrages maxima edita eſt, omnibus cuiuſcunque ſexus & ætatis eſſent trucidatis. Direpta poſtmodum vrbs eſt & non deformata ſolum incendio, ſed in cineres planè redacta. Hollandis poſt conſecutam victoriam cum multa præda ad Caſtellum ſuum reuerſis.

Anno 1609. Labetacca ab Hollandis occupata.

Die 22. Iulij relatum ad eos fuit, hærere ab altera Bandæ Inſulæ parte, cum quadraginta Carcollis ſiue nauigiis, magnam Aethiopum copiam, vt Hollandos ex improuiſo obruerent, itaque viſum Gubernatori & ſenatui militari eſt operæ precium facturos, ſi rectà eo aduecti, nihil tale cogitantes eos obruerent.

Hollandi nuncium accipiunt de cõgregatis aliquot Aethiopibus.

Slanga ciuitas ab Hollandis frustra tentatur.

Sequenti igitur statim die impositas duabus scaphis sex cohortes, oppugnatum Aethiopes istos miserunt, verum cum ad locum istum venissent, eos iam mutata sententia, ad suos reuersos comperserunt, itaq; & ipsi conuersis velis ad Castellum redire coacti sunt. Interim tamen ne omnino frustra hoc iter suscepisse viderentur, constituerunt Slangam oppidum expugnare, moxque cursu ad illud directo, cum duabus suis scaphis eo adnauigarūt Factū est autē siue timore, siue vecordia nautarum quorundam, vt diutius in itinere commorati, antequā lucesceret, assequi oppidum non potuerint, itaque oppidani aduentare eos videntes, arma statim corripuerunt & tormentorum displosionibus, lapidumque vibrationibus tam sese industrios præstiterunt, vt breui tempore ad triginta ex Hollandis trucidati caderent; & ad centum grauiter vulnerarentur, quemadmodum etiam Gubernator ipsemet Iacobus Bitterus nomine, confracto per displosionem tormenti dextro crure, vulnus lethale tum accepit. Hollandi igitur hoc accepto damno scaphas iterum suas repetierunt & re infecta ad Castellum reuersi sunt.

Aethiopes pacem cum Hollandis faciunt

Non cessarunt tamen sequentibus diebus eruptiones crebro facere, & Aethiopes terra marique affligere, quos tandem eo etiam perduxerunt, vt cum nullibi tutos sese viderent, damnique plurimum subinde acciperent, pacem tandem cum Hollandis facere decreuerint. Missis igitur 14. Augusti legatis suis, pacem tractare cœperunt. Hollandi hoc accepto nuncio milites suos arma corripere & legatos ad senatum militarem adduci iusserunt, qui negare quidem non poterant Hollandos sese grauiter offendisse, dum Admiralē & primarios duces eorum interfecissent, interim tamen Hollandos monebant, vti cogitarent, quantum damni incolis dedissent, dum vrbibus & templis eorum subuersis, pagis item & propugnaculis igne deletis stragem passim dedissent maximam. Quod si igitur vellent Hollandi iniuriam damno compensatam æstimare, & obliuione acceptam iniuriam sepelire, paratos sese fore dicebant, æternam cum ipsis pacem facere, & tranquille postmodum cum Hollandis omnibus amiceque viuere. Ad hæc habita deliberatione responsum ab Hollandis est, se petitioni ipsorum annuere & pacem acceptare velle, hac tamen conditione, si iusiurandum præstarent, se imposterum cum nulla alia natione quæcunque ea etiam esset, commercia exercere, sed aromata sua omnia, nuces nempe myristicas & maces solis Hollandis vendere velle, qui fidem ipsis contra daturi essent, quod eos ab hostibus suis omnibus tueri, & oryza rebusque ad sustentationem necessariis omnibus ipsis prospicere, proque tolerabili & æquo precio omnia diuendere vellent. Has conditiones cum Aethiopes acceptassent, omnis ipsis iniuria condonata, & pax perpetua inter ipsos Hollandosque facta est.

Pax iureiurando ab Aethiopibus confirmatur.

Die 15. Augusti propositas sibi ab Hollandis conditiones incolæ acceptarunt, præstitoque super Alcorano, (omnes enim Mahometicis superstitionibus addicti sunt) iuramento, omnia sese sanctè obseruaturos, & ne latum quidem vnguem inde discessuros promiserunt. Et sane iuramentum hoc sanctè vtplurimum obseruant, itaque Hollandi pro confirmanda & stabilienda pace, viginti onera nautica oryzæ ipsis donarunt,

donarunt, quam in cibum ſtatim parantes abſumpſerunt, literis ab vtraque parte ſuper pacis hac tractatione ſcriptis atq; obſignatis.

Die 18. Auguſti Gubernator Hollandorum Iacobus Bittetus, cui ad Slangam vrbem crus dextrum tormentario globo conuulſum fuerat, mortuus, & ſequenti die iuxta Admiralem in Caſtello honorificè ſepultus eſt.

Gubernator Caſtelli moritur.

Die 20. nouus Gubernator electus fuit Henricus Bergelius, patria Antuerpianus, qui integrum iam quinquennium in Inſulis iſtis fuerat, ſupremi mercatoris officio functus. Ei legatus ſeu ſubpræfectus adiunctus fuit Guilhelmus Fortius patria Neomagus, qui biennium iam in Inſulis iſtis egerat ſubmercatoris officio functus.

Henricus Bergelius Gubernator eligitur.

Die 21. Viceadmiralis cum quatuor nauibus à Caſtello diſceſſit, quæ erant Hollandia nauis, qua ipſemet vehebatur, Vnitæ prouinciæ, Diabolus Delphenſis & Selandia, quarum poſtrema Selandia nempè, Bantamum petere, indeq; accepta vectura piperis, in patriam redire debebat, vt Indicarum nauigationum præfectis & mercatoribus Hollandis exoptatum illud nuncium de pace cum Bandenſium Inſularum incolis facta afferret, Viceadmiralis vero cum reliquis tribus nauibus Ternatem petere, vecturamq; Garyophyllorum ibi accipere debebat.

Viceadmiralis cum 4. nauibus à Caſtello diſcedit.

Ab hoc autem tempore, pace iam cum incolis confirmata, commercia magno vtriusque partis commodo exerceri cœpta ſunt; Aethiopibus quotidie magno numero ad Caſtellum commerciorum gratia confluentibus, & nucum myriſticarum macisque aromata tanta copia aduehentibus, & merces ſibi neceſſarias alias ab Hollandis redimentibus, vt ſex vel octo viri illis appendendis & menſurandis per dies ſingulos vix ſufficerent, quæ quidem negotiatio ad finem vſq; Anni, tranquillè & quietè, ita vt nihil interea accideret, continuata fuit.

Aethiopes commercia cum Hollandis exercent.

Calendis Ianuarii Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum decimo, feſtum pro felici noui anni auſpicio, more conſueto ſolenniter celebratum eſt, militibus ſingulis terna ſclopetorum ſuorum diſploſione ſe exhilarantibus, & tormentariis, tormenta ſua ænea, quorum triginta ſex in Caſtello numerabantur, tribus itidem vicibus exonerantibus. Hoc facto, Claſſiarii milites qui in naui adhuc erant, ſclopeta ſua & quatuordecim tormenta, tribus itidem vicibus exonerarunt. Magna autem in naui calamitas ex diſploſione tormenti exorta eſt. Cum enim fortè vaſculū aliquod puluere tormentario repletum ſuper tormento poſitum eſſet, ignem illud concipiens tabulatum nauis ſuperius tanta cum vehementia diſiecit, vt & ignem nauis conciperet, & Conſtabilis eiusque ſocius, ſubchirurgus item & Aethiops quidam puer, nauarcho ſeruiens, miſerè combuſti, circa meridiem inde morerentur, tormentarius autem ipſemet, qui diſploſionem fecerat, in aerem abreptus, planè interierit, nec vſquam apparuerit amplius. Incendium tamen in naui per gratiam Dei iterum extinctum, nauisque reparatio poſtmodum facta eſt.

Anno 1610. Calamitas ingens in naui à diſploſione tormenti exorta.

Die 18. Martii nauis quædam peregrina aduenit, ad quam, cum anchoras firmaſſet, ſcapham Hollandi ablegarunt, exploratum qualis ea eſſet. Cognouerunt autem Anglicanā eſſe, itaq; Gubernator habito cum ſenatu militari cōſilio, duos nautas à duabus ſuis nauibus, Iohannē nēpe Widdiū Roterodami & Rudigenū Thomā Hornæ nauiū moderatores ad eam miſerunt, eiq; ſignificarunt, vt cum ad alteram Inſulam, Lon-

Nauis quædam Anglicana ad Inſulas Bandias aduenit.

derum nempè oppidum consedisset, solutis anchoris ad Castellum veniret. Mandatum hoc præfectus nauis Mitteldunccius nomine grauiter admodum molestèque tulit, responditque Hollandis se liberum Baronem esse, ab Angliæ Rege, eiusque filio Principe Walesio ablegatum, vt ad Bandias istas Insulas, nucum Myristicarum, Macisque aromata allatum, nauigaret, mirari igitur, quod Hollandi imperium in se vsurpare, sibique quid faciendum, præscribere non vererentur. Ostendit autem eis simul etiam annulum suum in digito signatorium, vt inde de genere suo coniecturam facerent, petens vt Hollandi idem quoque facerent, & insignia sibi sua monstrarent, cui alter eorum Rudigerus Thomæ nempè affixa ea puppi nauis suæ extare respondit, vtque spectatum ea veniret eum inuitauit, scapha sua ad Gubernatorem Castelli reuersus.

Angli in portum Castelli nauigant.

Sequenti die nauis Hollandorum, cui magno soli nomen erat, solutis anchoris Londerum aduecta est, vt Anglis significaret habere se in mandatis, vt ni abcessuri loco isto essent, tormenta sua aduersus nauem expedirent, & si præualere non possent, reliquas adhuc duas naues in auxilium vocarent. Cum igitur viderent Angli, rem seriam Hollandos agere mutata statim sententia, anchoras soluerunt & in portum Castelli prouecti sunt.

Anglorum præfectus ad Gubernatorem Castelli adducitur.

Die 20. Mitteldunccius Anglorum Præfectus cum quinquaginta sociorum comitatu, duabus scaphis ad ripam aduectus, excensionem fecit, quem Gubernator quidem Hollandorum honorificè excipiendum curauit, milites enim præsidiarii omnes repetita tertium sclopetorum displosione eum salutarunt, exoneratis simul etiam tormentis omnibus æneis, cum nimirum viderent, non vulgari eum modo, sed per complicatas duodecim virorum manus in terram descendere. Cum in Castellum admissus, palatiumque Gubernatoris ingressus esset, in subsellium iuxta Gubernatorem consedit, Chirurgo, quem secum habebat & eximii Doctoris titulo dignabatur, literas quas à principe Walesio acceperat, quibusque testabatur princeps, se præfectū istum in Indiam, nuces myristicas & alia aromata allatum misisse, sibi præferente. Ad literas istas responderunt Hollandi, se paratos quidem & promptos esse ad inseruiendum Regiæ Maiestati principique Wallesio, quacunque ratione id fieri posset, non autē hac in re ipsis gratificari sine insigni Dominorum suorum, ordinum nempe vnitarum prouinciarum incommodo & detrimento posse, cum duæ adhuc naues adessent, vecturam suam expectantes, nuces vero vix pro dimidia naui onerandа sufficerent. Præterea scire etiam ipsum debere, non licere amplius incolis propter initum cum Hollandis pactum, cum quauis alia natione agere & cōmercia vlla exercere, posse igitur facile æstimare & secum colligere nihil aromatum se ibi ab incolis accepturum. Hæc cum intellexisset Præfectus, respondit placidè, cum animaduertat, fieri non posse, vt vecturam suam ibi accipiat, Ternatem se Tidoremque porro petiturum, & vt Garyophyllorum vecturam ibi nanciscatur, operam daturum, moxq; salutato Gubernatore & militari senatu ad nauem suam reuersus est.

Die 21. Gubernator ministros aliquot suos ad Anglorum præfectum misit, qui eum cum ministris suis primariis ad cænam inuitarent, cumque

eumque sub vesperam aduenisset, multus ipsi honor Regiæ Maiestatis nomine exhibitus est, cumque salutis pocula in Regis, Principisque Wallesii & Comitis Mauritii gratiam ab octodecim personis biberentur, non tubicines solum tubarum clangore, sed & fulminatores tormentarii, duodecim mediocrium tormentorum displosione singula prosecuti sunt; Præfecto ad suos finita cœna honorificè & amicè iterum dimisso.

Præfectus Anglicus conuiuio ab Hollandis excipitur.

Die 22. Anglus ille, cum Ternatem Tidoremque sese petiturum pollicitus esset, & Hollandi fidem eius dictis adhibuissent, solutis anchoris ex portu isto discessit. Verum enimuero promissionis suæ prorsus immemor, non longius quam ad Seramum Insulam quinque miliaribus à Banda dissitam, & à meris anthropophagis habitatam progressus substitit, nocturnoque tempore ministros quosdam suos ad Bandicarum insularum incolas remisit, qui commercia cum ipsis clam exercentes, Hollandos dicerent populum esse exiguæ potentiæ, se vero potentissimum Regem dominum habere, cum quo Hollandi ne in minima quidem parte comparari possent. Incolas igitur rectius sibi consulturos, si relictis Hollandis, commercia cum Anglis posthac exercerent. Eorum enim Regem sat virium habere, quibus ab Hollandorum eos iniuria tueretur, nec intermissurum, quin à potestate eorum eos vindicet, & in libertatem, Hollandis ex Castello profligatis adserat. Hoc cum incolæ cognouissent, periuri statim (leues enim plerunque sunt & fidem datam vix vnquam seruant) facti, Anglis promiserunt, se relictis Hollandis commercia cum illis exercere impostertum velle, quemadmodum etiam postero statim die hostilem suum animum Hollandi declarantes, palam cum Anglis negotiari cœperunt. Etsi vero Hollandi dolum præfecti Anglici statim subolfacerent, satisque virium haberent iniuriam hanc vindicandi eumque è statione sua exturbandi, abstinere tamen à conatu illo & se intra terminos suos continere, quod venti ipsis non amplius fauerent, & Aethiopes etiam passim in armis iam essent, occasiones omnes ipsis incommodandi quærentes, viderent, coacti sunt.

Die 26. Circiter horam noctis duodecimam Aethiops quidam ad Castellum veniens, lingua Malaica excubitorem compellans, petiit significari Gubernatori, arduum se & necessarium quid in mandatis habere quod ipsi aperiat. Intromissus igitur præsentibus Gubernatore & primariis eius ministris missum se à Domino suo (qui erat Oranchaius Klingius, ex Asia quidem oriundus, in magna autem apud Bandenses tum temporis auctoritate existens) vt Hollandis, quibus ipse benè cupiebat, significaret, Incolas septem istarum incolarum omnes, aduersus eos conspirasse, & iam ad quater mille congregatos esse, qui eos obruant, monitos igitur eos velle, vt diligentem sui rationem habeant, & in excubiis diligentes frequentesq; sint, ne quid ipsis damni ab incolis inferatur. Hollandi igitur licet alienatos à se incolarum animos certis iam indiciis depræhenderant, de aperto tamen eorum odio per Aethiopem istum tum primum edocti, cauere sibi ab ipsis modis omnibus cœperunt, idque eo magis, quod nocturno postmodum tempore aliquoties aduentare eos magno numero & ardentibus iaculis & ignitis telis oppugnare Castellũ viderent,

Hollandi de conspiratione incolarum admonentur.

viderent, omnem ſcilicet mouentes lapidē, vt deformato flammis Caſtello, opprimendi eos & ad internecionem delendi occaſionem haberent, quod tamen ipſis, Deo conatum ipſorum impediente, nunquam ſucceſſit.

Combora oppidum ab Hollandis direptum.

Die 30. Martij Hollandorum aliqui, cum naui cui magno ſoli nomen, ad Comboram in Banda Inſula ſitum oppidum applicarunt, moxque firmatis anchoris, quatere tormentis mœnia cœperunt, poſtero die in terram deſcendentes ducenti circiter, aciem inſtruxerunt & propugnaculũ vrbis expugnatũ proceſſerũt. Incolæ igitur hoc viſo, cũ præſertim tormentis qui in naui remanſerant etiamnũ inuigilarent ſedulo, conſternati admodum animum deſponderunt, atq; ita Hollandi occupatum ſumma celeritate oppidũ diripuerunt & incendio deformarunt.

Gryphus celox in portum aduenit.

Calendis Aprilis nauis quædam ex mari adueniens portum ingreſſa eſt, cumque conſediſſet, animaduerterunt Hollandi, ex celocibus ſuis vnam eſſe, Gryphum nempè Roterodamenſem, quam antea ad Goeram fluuium ægrotantium quorundam cauſa ſubſiſtentem reliquerant, vt ſupra in prima parte ſuo loco dictum eſt.

Hollandi in ſylua ab Aethiopibus oppreſſi.

Die 8. Aprilis viginti circiter milites conſentiente Gubernatore in ſyluam proximam, nuces aliquot Indicas, quos cocos vocant, fructusque alios allatum abierunt. Incidentes autem in trecentos circiter Aethiopes, omnes periiſſent facile niſi occupata commoda ſtatione, ad repugnandum ſeſe comparaſſent, & præſidiarii quinquaginta vel ſexaginta, audito ſclopetorum fragore auxilio eis ex Caſtello veniſſent. Hoc enim facto duo duntaxat perierunt, & quatuor vel quinque vulnerati ſunt, Aethiopibus cum magna ſuorum iactura ad ſuos iterum reuerſis.

Iohannes Verccius duos ad mortem condemnatos in viuis conſeruat.

Die 12. Aprilis duo Stationarii milites dormientes deprehenſi ſunt. Compræhenſi igitur ſtatim ad rerum capitalium Præfectum delati ſunt, qui compedibus eos ligatos ad ſequentem vſq; diem cuſtodiri curauit, quo in Iudicium producti & ad mortem condemnati ſunt tali quidem ſententia, vt ad arborem alligati ſclopetis transfigerentur, quemadmodum etiam ſtatim adhibito qui eos conſolaretur verbi miniſtro, in medium producti & ad ſtipitem præſentibus ad exequendum iudicium militibus omnibus, alligati ſunt. Erat hoc primum iudicium eo tempore quo Iohannes Verccius ſigniferi officio functus fuerat, habitum, cum igitur more veteri apud milites receptum ſit, vt poſſint ſigniferi reis quibuscunque primis vitam intercedendo conſeruare, noluit ipſis ſua beneuolentia deeſſe, & propterea in medium procedens culpam deprecatus eſt, vitamque interceſſione ſua ipſis tum conſeruauit.

Henricus Bergelius officium ſuum reſignat.

Vigeſimo Aprilis Gubernator Henricus Bergelius officium ſuum reſignauit, illudque in legatum vel ſubpræfectum ſuum Guilhelmum Fortium tranſtulit, cum enim octo iam & amplius annos in terris iſtis egiſſet, ad ſuos tandem iterum in patriam redire conſtituit, ſed iter poſtmodum ingreſſus, vixq; Mauritii Inſulam aſſecutus, diem ſuum obiit, vt ſuo poſtmodum loco dicetur.

Miles quidã ad Aethiopes tranſiens ab illis interficitur.

Die 24. intra vndecimam & duodecimam noctis horam, miles quidam Gubernatoris Seruitor Luiffon nomine, patria Bruccenſis, cum milite quodam alio patria Gandauenſi, per murum Caſtelli, ad hoſtes Hollandorum, Aethiopes nempe Inſularum incolas, vti tranſirent

irent, deſcenderunt. Erat is felici admodum ingenio, pacisque tempore multum cum incolis conuerſatus, linguam eorum accurate didicerat, ita vt conuerſari loquique cum ipſis commode poſſet. Itaq; cum bellum hoc exortum fuiſſet, clam cum Sabandris & Oranchis, hoc eſt, cum præfectis & moderatoribus Inſularum, in ſylua egerat, vt ad eos tranſiret, & milites quoſdam ſecum adduceret, Dux militiæ ab ipſis conſtituendus & ad ſummos honores promouendus. Superato igitur iam muro cum Caſtello egreſſus eſſet, flumini ſe commiſit, & ad igniuomum montem, cui Gunappi nomen eſt, natando tranſiit. Cōſederant autem ibi paulo ante quidam ex deſolato Labetacca oppido ſuperſtites. Hi aduentantem ita exceperunt, vt licet annulum & literas à Sabandris ſiue præfectis ipſorum ſibi traditas proferret, & aduentus ſui cauſam ſatis prolixè exponeret, mortem tamen euitare non potuerit, ſed ab Hollandis nimium infeſtis iſtis barbaris fruſtulatim conciſus cum ſocio ſuo perierit.

Milites quidam ob proditionem in crucem acti.

Die 25. Tribunus prædicti militis, qui cum ſeruitore Gubernatoris ad hoſtes defecerat, ad diuerſorium eius, relictam ab ipſo ſupellectilem ablatum conceſſit, cumque ibi aliquem eam ſibi vendicantem inueniſſet, captiuum eum ſtatim abduci curauit. Adhibitus autem ad quæſtionem confeſſus eſt, ſe vna cum alio Iohanne Petri, patria Bruxellenſi non ſolum conſcius proditionis iſtius eſſe, ſed & Caſtellum puluere tormentario in cuniculos quatuor locis actos illato diſturbare, ſub aduentum ipſorum pollicitos fuiſſe, ad quam quidem confeſſionem vterque in crucem acti ſunt.

Milites quidam infames redduntur.

Poſtridie eius diei milites quinque exauctorati & infames facti ſunt, iudicante vniuerſo militari ſenatu, captiuos eos in naui detinendos, & in patriam perferendos eſſe. Delictum autem eorum illud erat quod proditionis iſtius conſcii perhiberentur, quod ipſum tamen licet id ob exquiſitiſſimos torturæ dolores confeſſi ipſimet fuiſſent, habita accuratiori inquiſitione falſum & in eos confictum depræhenſum fuit.

Henricus Bergelius Gubernator ex Caſtello diſcedit.

Primo Maij duæ naues Roterodamum nempe & Horna anchoras ſoluentes ex portu iſto abierunt Henrico Bergelio, qui Gubernatoris munere functus fuerat, Roterodamum nauem vt in patriam tandem rediret, ingreſſo. Quia autem plenariam ſuam vecturam in nucibus Myriſticis & Mace accipere ibi non potuerant, accepto eo quod aderat, curſum ſuum ad Bantamum Iauæ maioris vrbem, pipere ibi quod ipſis deerat ſuppleturi direxerunt.

Pugna inter Aethiopes & Hollandos facta.

Die 14. Iunij Aethiopes octingenti circiter numero in montem Caſtello proximum venientes, multa inde tela & iacula in Caſtellum miſerunt. Quamuis autem neminem læderent, cum tamen id per dies aliquot ita continuarent, decretum tandem à militari ſenatu eſt, mittendos eſſe aliquot ſclopetarios milites, qui clam conſcenſo monte, incommodare ipſis omni modo ſtuderent. Cum igitur ſclopetarii iſti, 17. Iunij montem conſcendiſſent, duosque Aethiopes in excubiis conſtitutos, vnum quidem clypeo gladioque, alterum vero ſclopeto armatos eminus conſpexiſſent, expedientes ſtatim Ioachimus quidam Paterbornius & Iohannes Schumbachius ſclopea ſua, vtrumq;

priusquam id animaduerterēt, interfecerunt. Hoc autem facto Aethiopes ex insidiis magno numero prorumpentes, in Hollandos mouerūt, verū præsidiariorū quinquaginta audito tormenti fragore Castello egressi in auxilium ipsis contenderunt, factaq; est pugna satis cruenta, multis ex Aethiopibus, ex Hollandis vero vno duntaxat trucidatis, & quatuor vulneratis.

Primarius quidam Aethiopum præfectus ab Hollandis trucidatus.

Die 28. Iunii, nouem sclopetarii in montem iterum emissi sunt, an operæ precium aliquod facere ibi possent visuri. Cum igitur vix ad dimidiam horam ibi substitissent, sex Aethiopes aduentare eminus viderunt, quorum primus, qui primarius quidam Oranchus seu præfectus erat, sclopeto statim percussus concidit, alter vero, qui eum comitabatur, vulneratus itidem vix euasit. Aderant autem statim centeni aliquot Aethiopes & in fugam sclopetarios istos facile vertebant. Verum ex Castello ad fragorem tormenti erumpentes sexaginta plus minus præsidiarii, pugnam cum Aethiopibus inierunt, eaque ad horam integram protracta, octo ex Aethiopibus, nemine ex Hollandis concidente, trucidarunt.

Bandanensis quidam cum vxore & filia ad Hollandos transit.

Quarto Iulii paulo ante lucem Bandanensis quidam, homo pauper cum vxore & filia lembo ex Banda Insula ad Castellum aduectus est, gratiam & vitæ suæ sustentationem ab Hollandis expetens. Referebat enim Incolas magna oryzæ & aliarum necessariarum rerum inopia laborare, dicebatque extrema famis necessitate coactum ab illis discessisse. Tametsi igitur ipsi fides initio habita non est, cum tamen ad quæstionem omnes seorsim adhibiti, in sermone suo consentirent, suscepti tandem ab Hollandis sunt, tuguriolo quodam vbi habitarēt in Castello ipsis attributo.

Fames in Castello ingens.

Cæterum ab hoc tempore fames in Castello admodum inualuit, cum enim naues quæ discesserant non multum cibariorum ipsis reliquissent, & ab incolis ipsi etiam nihil accipere possent, omnium rerum penuria laborare cœperunt. Non deerat quidem ipsis oryza & saga, panis nempè ex contuso arborum quarundam ligno factus, sed aliarum rerum nihil nancisci poterant. Habebant quidem Chirurgus & officiatii quidam alii gallinas quasdam hactenus ibi educatas & nutritas, eas ingenti precio superiores redimebant, soluentes pro gallina vnica decem & amplius imperiales. Supererant & feles aliquæ ex desolata vrbe, illis retia tendebant milites, vendentes vnam septem & octo Ioachimicis, mures gliresq;, si qui capiebantur, vel dimidio vel integro imperiali vendebantur. Quin & vespertiliones si quæ à militibus caperentur, dimidio imperiali singulæ venibant. Erant qui matutino tempore cicadas in gramine quæsitum Castello egrediebantur, duodenas quarta imperialis parte vendentes, serpentes plurimi interque illos duodecim item octo pedum longitudine aliqui capiebantur & in cibum assumebantur, tanta enim fames erat, vt non gregarii solùm milites, sed & superiores officiarii, etiamsi meliori paulo quam inferiores conditione essent, tantum non deficerent & morerentur.

Aethiops quidam captiuus ad laqueum cōdemnatur.

Die 22. Iulii quindecim milites ex Castello in vicinos agros ad agendas excubias emissi (id enim quotidie, proditionē vti omnem cauerent, faciebant,) in sexaginta Aethiopes inciderunt, moxq; sclopeta sua expedientes in eos exonerarunt, præsidiariis aliis auxilio ipsis ex Ca-

ex Castello statim venientibus, quod videntes Aethiopes, in aquam statim se præcipitarunt, quorum tamen aliqui globis inter natandum percussi perierunt. Vnus vero ex illis compræhensus inque Castellum abductus & sequenti die in crucem actus est.

Decimo nono Augusti Aethiops quidam noctu ad Gryphum nauem natando aduenit, latum admodum cultrum manu tenens, quo dissectis funibus nauem vento ad arenas & saxa abripiendam committeret. Cum autem in excubiis diligentes admodum Hollandi tum essent, compræhensus à nautis inque Castellum abductus est. Postero die cum ad quæstionem adhibitus; confessus esset emissum se à proceribus quibusdam esse, vt infortunium aliquod naui isti pararet in nauem iterum delatus atque ad malū eius suspensus fuit; vbi cum ad vesperam vsque pependisset; per capitalium rerum Præfectum abscissus & in aquam abiectus fuit.

Aethiops naui insidias struens capitur.

Die 22. Augusti nauis modo dicta ex portu Castelli soluens, cursum suum Bantamum versus direxit, vt cibo ibi potuq; & aliis necessariis rebus coemptis, Hollandos in Castello tandem aliquando reficeret.

Gryphus celox Bantamū proficiscitur.

Die 24. Aethiops quædam mulier, ex Banda Insula lembo aduecta recipi se in Castellum supplici voce petiit. Admissa autem aufugisse à marito suo, simulauit, propterea quod Anthropophagis Serami habitantibus vendenda destinata fuerit, verum cum dictis eius fidem non adhibendam Hollandi censerent; ad quæstionem tandem adhibita, dolorum & cruciatuum exquisitissimorum impatiens confessa est, missam se ex Londero Bandæ insulæ oppido esse, vt & vires commeatumq; Hollandorum exploraret, & vel veneno primarios quosq; interficere vel Castellum incendio delere operam daret. Etsi vero hoc ipsius propositū peruersum admodum & abominandum esset, quia tamen dolores & cruciatus fortunæ satis magnos sustinuerat, vitæ ipsius parcendum censuerunt. Traducta est igitur per omnes Castelli angulos, vt situm & opportunitatem eius satis intueretur, iussa est deinde dominis suis omnia quæ vidisset referre, donataque triginta fermè libris oryzæ, ad littus Insulæ Bandæ exposita atq; dimissa fuit.

Mulier quædam Aethiops ad Castellum vires Hollandorum exploratum mittitur.

Die 22. Septembris miles quidam Iacobus Petri, Mors alias dictus, patria Delphensis, quod nudius tertius, ad locum quendam, vbi arborem; fructum, qui Magnor vulgo vocatur; ferentem nouerat, fructus aliquot allatum ierat; cum tamen sub capitali pœna prohibitum esset, ne quis vltra iactum sclopeti à Castello discederet, ad Gubernatorem adductus, tribunisq; & præfectis omnibus præsentibus, fustibus adeo cæsus est, vt sanguinolentus & toto corpore deformatus appareret. Iratus igitur & vindictæ cupiditate totus flagrās, omnino statuit de præfectis & tribunis militum se vlcisci. Accidit igitur vt cum ante Castellū si quem forte depræhendere posset, expectaret; rerum capitalium præfectus Iohannes Watsius, natione Sabaudus, recreandi animi gratia Castello egrederetur. Accedens igitur à tergo miles iste, gladio eum transfegit, ita vt exanimis statim in terram prolaberetur. Hoc facto pileum gladiumq; abiecit; alligatumq; ad baculum strophiolum præferens, quanta potuit festinatione ad nauiculam quandam, quam Aethiopibus refertam in littore forte hærere viderat, contendit; qui eum statim recipientes ad Bandam Insulam abduxerunt; vbi sequenti statim die circumcisus, Mahometicæ impietati subscripsit. Præfectus autem iste de-

Miles quidā occiso tribuno quodam militum ad Aethiopes transit.

cimotertio die poſt ex vulnere iſto mortuus eſt.

Aethiops quidam cum duabus mulieribus compræhenditur.

Sexto Octob turba quædam militum ad ſexaginta in ſyluam proximam, fructuum aliquid allatum miſſa eſt. Incidentes autem in Aethiopes quosdam ibi congregatos, cum pleriq; aduentum eorum non expectantes, fuga euaderent, virum vnum & duas mulieres compræhenſas in Caſtellum traduxerunt.

Sequenti die mulier vna lembo ad Bandam Inſulam dimiſſa eſt, ſignificatum Inſulæ moderatoribus, vt milites illos qui ad eos tranſientes apoſtatæ facti fuerant, ipſis redderent, ſe viciſſim paratos eſſe mulierem alteram & virum quem captiuum haberent, ipſis remittere. Quod ſi vero reſponſum intra biduum nullum accepturi eſſent, laqueum mulieri & viro iſti paratum eſſe, cum igitur nihil reſponderent inſulani, & mulier iſta etiam non reuerteretur, tertio die poſt vir quidem ille in crucem actus, mulier vero in lembum expoſita & ad Bandam inſulam dimiſſa eſt.

Fames in Caſtello inualeſcit.

Vltimis duobus huius Anni menſibus, Nouembri ſcilicet & Decembri, inopia eduliorum & fames vſq; adeo inualuit, vt miles etiam quidam Henricus Batenburgius nomine, Gubernatorem aliquando accedens petierit, vt ſibi liceret Aethiopi triduo ante ſuſpenſo partem aliquam carnis ex femore abſcindere, ſe enim paratum eſſe viginti imperiales inter pauperes pro fruſtulo iſto carnis diſtribuere, quod ipſi tamen non permiſſum, ſed cum obiurgatione denegatum fuit.

Anno 1611. Hollandi ab aduentu nauis cuiusdam exhilarantur.

Cum igitur in extrema neceſſitate ſummoq; periculo verſarentur, Deus eos iterum exhilarauit, die enim 22. Ianuarii Anno 1611. nauem in mari eminus aduentantem viderunt. Tria igitur ſtatim tormenta exonerarunt, vt eis qui in naui erant, teſtarentur, Caſtellum ſeſe adhuc per gratiam Dei conſeruaſſe. Quin & ſubmercator cum duodecim militibus ſcapha ad nauem aduectus eſt, exploratum qualis ea eſſet, qui etiam in naui ea pernoctauit, cum enim venti omnes ceſſarent & omnia tranquilla eſſent, dimidio miliari à Caſtello ſubſiſtere & per noctem ab anchoris hærere cogebantur.

Hollandis in Caſtello de commeatu proſpicitur.

Poſtero autem die ſimul atq; illuxiſſet nauis illa portum ingreſſa eſt, ſubmercatore illo cum duodecim militibus ſociis in terram ſtatim deſcendente & nuncium Hollandis in Caſtello afferente, nauem illā Hollandicam eſſe paruum Solem dictam, quam in tranſitu, vt ſuo loco dictū, ad Bantamum vrbem reliquerant, vbi etiam hactenus ſubſtiterat, & iam miſſa erat, vt commeatum aliquem Hollandis in Caſtello afferret. Erant autem dolia quædam Araccæ plena, & ſacci aliquot fabis minoribus Indicis repleti. Aſſeres præterea & ligna afferebat ad ſtructuram Caſtelli abſoluendam. Nautæ autem commeatum & cibaria omnis generis ſecum habebant, nempe piſces ſale conditos & infumatos, gallinas, anates, caſeos Hollandicos & alia id genus, quæ quidem ſecum magna copia aduexerant, cum facile coniicere poſſent penuriam omnium eiusmodi cibariorum in Caſtello maximam eſſe, & propterea exoptata ipſis ea deſiderataq; admodum fore, quæ quidem cogitatio ipſos non fefellit, omnia enim ſatis magno ab Hollandis precio coempta ſunt, ita vt pro ſex librarū caſeo, ad ſedecim & octodecim Imperiales ſoluerentur.

Die 27. Nauigium quoddam Indicum ex Iaua maiore adueniens, omnis generis fructus carnesq; & id genus cibaria alia Hollandis attulit, vt ita commeatu neceſſario ſatis tum inſtructi iterum fuerint.

Die

Die 28. Nauigia duo alia, quæ Iuncas ipsi appellant, ex Chrisi Insula ad Castellum appulerunt, multumque itidem commeatum & cibaria omnis generis attulerunt. Erant autem in Iunca altera Regis Sarambaii legati, quos ille cum amplissimis mandatis ad Gubernatorem & senatum militarem miserat, petens vt in gratiam cum incolis insularum tandem redirent, dicentes simul ad incolas etiam à Rege commissionem se & mandatum habere, vt deposito tandem odio pacem cum Hollandis facerent. Verum enimuero vbi cum incolis hac de re legati egissent, ipsis vt pacem facerent persuaderi nullo modo poterat. Cum enim ante pauculos dies tres Iuncæ, nauiculæ scilicet Indicæ ad Insulam Pule Waiam appulissent, & incolæ ad ducenta onera nautica oryzæ à nautis istis coemissent, animum suum vsque adeo obfirmarant tamque insolentes facti erant, vt nunquam in gratiam cum Hollandis redituros se, sed auxilium ab Anglis expectaturos, cumq; illis perpetuum fœdus facturos, palàm profiterentur, idque eo magis, quod cum Præfectus Anglicus, hoc ipso adhuc anno, decem vel duodecim nauium classem ex Anglia aduenturam affirmasset, Hollandos facile superatum & ex Castello exturbatum iri sperarent.

Bandenses pacem cum Hollandis facere omnino recusant.

Sexto Februarii, nauis quædam portum Castelli ingressa fuit, cumque Gubernator scapha ad eam deferri se curasset, Mittelburgum nauem esse animaduertit, quam ipsi ad Bantamum vrbem post se reliquerant. Nauis hæc post classis discessum, vna cum Amsterodamo naue & duabus celocibus, Pauone scilicet & Spe versus Ternatem & Maccanem Insulas nauigauerat, ibique confectis negotiis quibusdam, Garyophyllorum vecturam acceperat, rectà in patriam cursum suum iam directura, sed cum ad duodecim miliaria à Castello abesset, tantam experta fuerat tempestatem, vt etiam malum suam ventorum vi confractam inque mare præcipitatam amiserit. Necessitate igitur coacti portum petierant, vt nimirum damnum illud & ruinam nauis repararent, quemadmodum etiam vecturam omnem exonerare statim & Castello inferre coacti sunt, quæ tanta fuit, vt templum eam totam non caperet, sed duæ præterea domus, aromatibus comportandis destinatæ, ea complerentur.

Mittelburgũ nauis Garyophyllis onerata ad Castellum aduenit.

Die 12. Februarij celox quædam in portum adueniens, nuncium Hollandis de nouo Gubernatore attulit, quod nimirum is cum noua classe in itinere esset. Mittebat autem Hollandis triginta milites præsidiarios, petens, vt breuem adhuc moram, quam Amboinæ nectere cogeretur, æquo animo ferrent, esse enim sibi negotia quædam ibi expedienda, illisq; compositis intra tres vel quatuor septimanas certò sese adfuturum promittens.

Nuncium accipiunt de nouo quodam Gubernatore.

Die 28. Martij nauis iterum alia in portum Castelli aduenit, eratque Hollandia, quæ ad Ternatem & Maccanem Insulas aliquandiu ob negotia quædam ibi expedienda substiterat, inde Amboinam petierat, & ad Hidenam Insulam Amboinæ subiectam subsistens, vecturam ibi Garyophyllorum acceperat, iussu igitur Gubernatoris qui Amboinæ tum erat ad Castellum cursum suum direxerat, si forte ministerio & opera sua præsidiarii opus haberent, promptam eam vti omnibus præstaret.

Hollandia nauis Garyophyllis onerata ad Castellum aduenit.

Die 29. Martij nouus Gubernator cũ noua classe ad Castellũ aduenit,

Nouus Gubernator aduenit.

habens secum quinq; magnas onerarias naues & celocem vnam, quarum nomina erant, Nouum Amsterodamum, in qua naui ipsemet vehebatur, Vlissinga, Leo candidus, Leo ater, Anser, & celox Pauo. Postquam igitur Gubernator aduenisset, habita per dies aliquot consilia sunt, de incolis Aethiopibus in ordinem redigendis, conclusumque tandem est, impetum in præcipuum quoddam eorum oppidum armata manu faciendum esse.

Slanga ciuitas ab Hollandis expugnatur.

Quarto Aprilis milites ex Castello in nauem, cui paruo Soli nomen, paulo antequam lucesceret, traducti sunt, noui autem milites, qui cum Gubernatore nuper aduenerant, in tres cohortes distributi, inque Pauonem celocem dispositi sunt. Simul atque igitur aurora in cælo apparuit, solutis anchoris Slangam oppidum versus velificationem direxerunt, proiectisque ad oppidum istud anchoris scapha in terram delati sunt. Excensione facta, illi qui in nauibus remanserant, tormentis oppidum quatere cœperunt; reliquis summa festinatione ad mœnia contendentibus, & sine vlla reluctatione oppidum inferius occupantibus. Aethiopes enim impetu isto tam repentino perterrefacti cum vxoribus liberisq; montem oppido proximum, in quo propugnaculum probe admodum munitum habent; deserto oppido conscenderunt, cum vero Hollandi ipsi quoq; eos sequi & montē conscendere vellent, ipsi lapidum iactu repugnantes admodū, non paucos, aliquot plane interfectis, grauiter læserunt & vulnerarunt. Ad oppidum ergo desertum reuersi, constitutis excubiis, illud diripuerunt, & aliquot simul locis accenderunt, in acie tamdiu stantes, donec in cineres illud plane redigeretur. Hoc facto naues iterum conscenderunt & ad Castellum reuersi sunt. Quamuis enim Aethiopes ex propugnaculo suo, multa tormentorum suorum displosione non parum furerent, nihil tamen damni nauibus, aerem vtplurimum ferientes, inferre poterant.

Milites quidam damnati liberantur.

Sexto Aprilis iudicium in Castello habitum est de tribus militibus & vno ministro nautico, ita quidem vt miles vnus ad stipitem ligatus sclopetis eam ab causam, quod Præfectum suum pridie probroso vocabulo hominem nequam & nefarium appellasset, conficeretur, reliquis, quod tumultuati in Castello fuissent, chorda traheretur, minister vero nauticus funibus ligatus ter sub nauem duceretur, & ad malum constitutus fuste cæderetur. Hæc quidem in ipsos pronunciata sententia fuit, quam tamen signifer Iohannes Verccius, adiuuante eum verbi ministro apud nouum Gubernatorem pro ipsis intercedendo immunitatemq; ipsis impetrando, irritam fecit.

Propugnaculum in monte iuxta Castellum ab Hollandis extruitur.

Sequenti die Consilio habito decretum est, operæ precium se facturos, si in monte Castello proximo propugnaculum insuper aliud extruerent. Itaq; sequenti statim die, quadraginta circiter viri emissi sunt, qui pro extruendo propugnaculo isto, lapides ex desolatorum oppidorum Labetaccæ & Radæ mœnibus templisq; afferrent. Sed & quinquaginta plus minus viri, syluam quotidie ingredi, & nucum myristicarum aliorumq; fructuum arbores afferre inq; Castellum comportare ad cæmenti & calcis præperationem, cogebantur. Calcem enim ex albis quibusdam lapillis corallinis, ex maris fundo, quo loco vltra duas orgyas profundum non est, extractis, coquere & parare solent. Propugnaculum vero quatuor munitionibus formidabile in monte statim descri-

deſcriptum, factisque fundamentis excitari cœptum eſt.

Die 10. Aprilis præſidiarius quidam Iacobus Laurmannus, qui ante hæc tempora exauctoratus & captiuus hactenus in naui Hollandia detentus fuerat, cum cognitum eſſet, eum dum Labetacca oppidum expugnaretur, Aethiopem quendam Gubernatoris miniſtrum, data opera globo traiectum interfeciſſe, ad laqueum tandem condemnatus inque crucem actus fuit.

Milites quidã propter delicta varia ſupplicio afficiuntur.

Die 12. Miles quidam ſtationarius in excubiis nocte dormiens depræhenſus fuit, qui vnus ex duobus illis erat, qui in eodem delicto olim depræhenſi & ad mortem condemnati, à Ioanne Verccio autem in viuis conſeruati fuerant. Is ad rerum capitalium Præfectum ſtatim abductus & ſequenti die ad ſtipitem ligatus, ſclopetisq; tranſactus fuit.

Die 15. Aprilis miles quidam ex nouis quæ nuper aduenerant cohortibus, ſine venia tribuni ſui in ſyluam, vt ferarum aliquid ſclopeto conficeret, egreſſus fuit, cum igitur in Caſtellum reuerſus eſſet, ad rerum capitalium præfectum ſtatim adductus eſt, qui eiusmodi in eum pronunciauit; vt chorda ei tribus vicibus traheretur. Cum autem funibus in primo tractu diſruptis, ipſe exanimis in terrã prolaberetur, abſolutus iudicio & Chirurgo curandus relictus fuit.

Die 20. Miles quidam puerum coqui percuſſit, ita vt ſanguinolentus appareret. Is ad rerum capitalium præfectum delatus & ab eo condemnatus fuit, vt tractum chordæ ter ſubiret. Cum igitur milites præſidiarii omnes vno ore, ad primum tractum gratiam ei implorarent, vnus eorum, qui ſtatura cæteros ſuperabat, atq; ita præ cæteris clamare quoq; videretur, ex toto numero protractus & ad præfectum delatus, ſequenti die eandem ſubire pœnam ter coactus eſt.

Calendis Maii Hollandia nauis portu egreſſa, curſum ſuum Bantamum verſus direxit, Mauritiũ Inſulam inde petitura, ibiq; Mittelburgi nauis aduentum expectatura, cum qua deinde in patriã redire dicebat.

Hollandia nauis ex portu ſoluit.

Die Octauo Maii ex Mittelburgo naui Chirurgum, Nauarchi ſociũ, duos tonſores, duos miniſtros nauticos, Tormentarium item & coquũ captiuos in Caſtellum abduxerunt. Cauſa eius rei erat, quod ſuperiori anno ad Ternatem Inſulam ſeditionem moliti, Nauarchum ad ſummas anguſtias redegerant, præfecto rerum Capitalium manus iniecturi, niſi elapſus ſumma dexteritate fuiſſet. Abducti igitur in Caſtellum & in carcerem compacti fuerunt, captiui ibi aſſeruandi donec, ſententia in eos pronunciaretur.

Captiui quidam ex Mittelburgo naui in Caſtellum abducuntur.

Die 28. Maii octodecim milites ſclopetis armati in ſyluam Caſtello proximam emiſſi ſunt, vt viderent an aliquos cõpræhendere Aethiopes poſſent, quemadmodũ etiam tres ibi depræhenderunt, quorum vnus tamen fuga elapſus fuit, reliquos duos compræhenſos in Caſtellum ſecum abduxerunt, quorum tamen vni qui fugam arripere voluerat, globo brachium auulſum fuerat.

Aethiopes duo captiui in Caſtellum abducuntur.

Die 29. miles quidam cui Iohanni Schuichardo nomen erat, patria Argentinenſis, ex Caſtello effugiens ad Aethiopes defecit. Sequenti igitur die, milites quidam ſcapha ad Bandam Inſulam appulerunt, vexillũ candidũ præferẽtes, quod cum primates Aethiopũ vidiſſent, procedẽtes eis cũ itidẽ vexillo albo obuiã cauſam aduẽtus ſui exponere iuſſerunt, quibus mercator Hollandorũ reſpondit, debere eos milites qui ab Hollandis defecerãt, reſtituere, & captiuos cõtra ſuos recipere, qui id facturos ſe planè negarunt, permittentes Hollandis, vt quicquid vellet,

Aethiopes captiuos redimere recuſant

cum ipsis agerent, itaque reuersi milites, captiuos istos secum in Castellum reduxerunt.

Aethiops quidam in patibulo suspensus.

Primo igitur Iunii Aethiopem alterum qui nobilis erat, ante Castellum productum in crucem egerunt, alterum vero, qui mancipium erat, & brachium vnum amiserat, sub patibulo stare & mortem eius spectare coegerunt, postea nauigio ad littus Castello oppositum traduxerunt & liberum dimiserunt.

Hollandi Aethiopem quendam primarium interficiunt.

Die 20. Iunii, quindecim circiter milites antequam dies illucesceret ad Londerum oppidum missi sunt, vt in insidiis latitantes, viderent, an aliquem ex Insulæ proceribus apprændere & captiuum abducere possent. Cum igitur ad horam vsque nonam in insidiis sese continuissent, primarius quidam loci istius moderator, cum quatuor vel quinque ministris oppido egressus est, verum cum insidiatores eminus vidisset, conuerso itinere, oppidum rursus ingredi voluit, itaque sclopeta statim expedientes eum percusserunt, classiarii vero audito fragore scapha statim ad littus, vt eos reciperent, applicarunt, qui cum moras ibi nectere diu non possent, capite Aethiopem truncarunt, illudq; in Castellum secum asportarunt.

Iudicium de quibusdam in naui Mittelburgo captiuis habitum.

Die 12. Iulii iudicium in Castello, de illis qui ex Mittelburgo naui captiui in Castellum translati fuerant, habitum est. Tormentario enim, cui Abrahamo Embdensi nomen erat, in crucem acto Nauarchi socius & coquus funibus collo ligati & sub patibulo constituti sententiam suam expectare cogebantur, producti vero sunt & Chirurgus cum duobus tonsoribus & duobus ministris nauticis, ad audiendam sententiam suam, cumq; Tormentarius miles laqueo suffocatus esset, miles quidam alius Gualterus Simonis nomine diuitis cuiusdam mercatoris filius, ob perpetratum furtum virgis cæsus, & candente ferro signatus, Nauarchi autem socius & coquus sub nauem ter protracti, & fuste ad malum nauis cæsi, Chirurgus cum duobus tonsoribus & vno ministro nautico sub nauem protracti atq; incolumes postmodum dimissi sunt, alter vero minister nauticus post ternam sub nauem protractionem, cultro ad malum manu adfixus eam discindere spontanea conuulsione coactus fuit.

Iohannes Verccius potestatem accipit domum reuertendi.

Die 14. Iulii Iohannes Verccius, ex cuius consignatione & Ephemeridibus vniuersam hanc nauigationis huius historiam descripsimus, dimissionem eandem precibus multis obtinuit. Tametsi enim aliquoties tam apud nouum Gubernatorem, quam apud senatum militarem instando in patriam reuertendi dari sibi copiam petiisset, nihil tamen, licet tempus suum ad quod se adstrinxerat, diu iam elapsum esset, obtinere potuit, donec tandem diuino auxilio adiutus veniam hac ipsa die impetraret, vt cum Mittelburgo naui domum rediret, quamobrem Deo gratias immortales toto pectore persoluit.

Mittelburgū nauis iter domum versus ingreditur.

Die 18. Iulii prædictus Iohannes Verccius cum naui Mittelburgo ex portu soluens abiit, postquam integrum biennium & præterea tres menses nouemq; dies in Castello Hollandis operam fidelem nauasset, cursu suo Amboinam versus directo.

Perueniunt ad Insulam Amboinam.

Die 19. circa meridiem ad Amboinam Insulam, triginta miliaribus à Banda Insula distantem, peruenerunt. Complectitur autem Insula hæc suo ambitu & circumferentia triginta sex miliaria, Castellum habet fortissimum, in quo centum præsidiarii Germani vt plurimum numeran-

merantur. Translatæ sunt nuper etiam in Castellum istud triginta ex Hollandia mulieres, si forte fieri posset, vt Germanis terra ista plane cedat & subiiciatur. Sunt enim ibi adhuc quinq; aliæ insulæ, iurisdictioni & potestati Hollandorum subiectæ, quæ nominantur Hidena, Lubna, Compella, Buria & Roslauia, nihil omnino aromatum præter Garyophyllos ferentes; tanta copia, vt quotannis, quingentorum onerum nauis onerari illis possit.

Die 21. peruenerunt ad Insulam Buriam, quindecim miliaribus ab Amboina dissitam, & ad iurisdictionem Castelli, quod in Amboina est, pertinentem.

Buria Isula.

Dia 23. ad Buttonem Insulam appetente iam vespera appulerunt. Ea quadraginta sex miliaribus à Buria abest, & proprium suum Regem habet. Populosa alias est & satis fertilis, pecorumq; diues, Homines ibi habitantes piscatores sunt & piratæ crudelissimi.

Button Insula

Die 24. ad Cambaionem Insulam appulerunt. Hæc quinq; miliarib. à Buttone distat, cuius etiam Regem Dominum agnoscit, fertili admodum solo prædita.

Cambaion Insula.

Die 25. Thessalonicam Insulam assecuti sunt; quæ octodecim miliaribus à superiori distat, estq; satis magnæ capacitatis, & coniunctas sibi duas alias Insulas habet quas Muscarones vocant.

Thessalonicæ Insula.

Die 26. ad Insulam, cui Celebes nomen est, venientes, ad vrbem Bantachaiam consederunt, vt sese aliquo modo ibi recrearent, itaq; singulis, quotquot ibi commorati sunt, diebus, in terram descenderunt variosq; fructus & cibaria, Bubalos, gallinas, Oua, Batatas, Bananas, Magnores, lac & Tabaccam ab incolis mercati sunt.

Celebes Insula.

Insula hæc quindecim miliaribus à Thessalonica abest, trecenta circiter miliaria ambitu suo continens, estq; admodum populosa, sunt enim sex Reges ei imperantes, quorum quem Regem Madagascaris vocant, (quæ ciuitas est, triginta miliaribus ab vrbe Bantachaia distans, Hollandis ad commercia exercenda itidem opportuna) potentia reliquis omnibus superior est, perpetuum cum illis bellum gerens, idq; eam ob causam, quod ante tres vel quatuor annos Mahometicæ impietati nomen dederit, cum antea paganus & gentilis plane fuerit. Cum igitur reliqui Reges ethnicis etiamnum superstitionibus dediti sint, armis eos persequitur, nunquam ea depositurus, donec, quod in vno atq; altero iam obtinuit, Mahometicam impietatem omnes amplectantur.

Celebes Insulæ descriptio.

Insulæ istius incolæ, placidi sunt probiq; & simplices, dolis fraudisq; omnis expertes, staturæ decentis, spadicei coloris. Viri præter femoralia, quibus pudenda tegant, vestitum nullum habent, corpus tamen profundo & amplo aliquo sacco obuoluunt, qui, cũ eum induunt, à planta pedis ad summum verticem pertingit. Eum autem corporibus solum obuoluunt, nec nisi cum mulieribus rem habituri induunt, tunc enim & sibi & mulieri simul eum superinduunt, non videri turpitudinem suam existimantes, quam in sacco clam exercent. Cæterum in virga seu membro virili viri omnes rotundos globulos circumferunt, reperiunturque aliqui, qui binos, ternos, quaternos, quinos, senos, septenos imò nouenos peni insertos gestant, non tamẽ ex auro vel argento, vt illi qui Schyamum incolunt, sed ex elegantioribus Cochleis pisciumq; testis, paratos. Capillos plerunq; in capite Germanorum more resectos habent, barbam vero vel radicitus euellunt vel radunt, ad collum vsq;, vbi duas

Descriptio populorum Celebes.

quaſi alas ſiue prominentias capillorũ inſtar caprarũ promiſſas ſiue propendentes alunt. Quod ad mulieres attinet, illæ nudę omnes incedunt, nec veſtimentum vllum induunt, quamdiu vitam cœlibem agunt, ad matrimonium autem vbi tranſierunt & viro alicui nupſerunt, laxas admodum & amplas caligas, breuesq; tunicas manicatas, virorum inſtar in Banda, Ternate, & aliis Moluccis Inſulis, geſtant.

Fertilitas & bonitas Inſulæ Celebes.

Terra ipſa ſupra modum pulchra & fertilis eſt, victum omnis generis proferens, oryzam enim ſuppeditat magna copia, habet & bubalos, porcos, ſues, capros, capellas, equos, (Hollandi enim quinqaguinta vel ſexaginta bubalos apud vnum ſæpe agricolam numerant,) Abundat feris beſtiis & volucribus, quæ maxima copia ibi inueniuntur. Adſunt Phaſiani, Pauones, Ardeæ, gallinæ Indicæ ſeu Africanæ, Anates feræ & ſylueſtres, turtures & multa alia ignota nobis volucrum genera.

Inſulæ Pater noſter vulgo dictæ.

Die 29. leuatis anchoris ſuis, ſecundum littus Inſulæ Celebes nauigarunt, peruenientes vltimo Iulij ad Inſulas, quas Pater noſter vulgo vocant, ſexaginta octo miliaribus à Celebes Inſula diſtantes frugiferas admodum & populoſas; quæ id nominis à perpetuitate & frequentia rupium & ſcopulorum, quibus vndiq; circumdatæ cernuntur, obtinuerunt.

Aliqui in naui Mittelburgo defuncti.

Toto hoc menſe Iulio, in naui Mittelburgo quatuor tantum perſonæ occubuerunt, faber nempe nauis lignarius; Adiunctus item quidã Mercatoribus Rudigerus nomine, Tormentarius quidam miles, & claſſiarius vulgaris, qui in præſidio Amboinæ aliquandiu fuerat.

Madura Inſula.

Calendis Auguſti miles adhuc alius, qui præſidiarium itidem in Caſtello Amboinenſi egerat, mortuus eſt. Peruenerunt autem eodem die ad Maduram Inſulam, à priori ad ſedecim miliaria diſtantem, ſicq; iuxta vallum progredientes, ad Rosbaiam oppidum poſt meridiem venerunt, vbi abiectis in profundum anchoris conſederunt. Inſula hæc Madura ambitu ſuo vndecim complectitur miliaria, eſtq; pulchra admodum, frugiferaq; & populoſa Inſula, multis probe munitis vrbibus, quæ fortiſſimis muris circumdatæ ſunt, inſignis, quarum tamen Rosbaia maxima & munitiſſima eſt, vnde & Rex Inſulæ totius dominus, ſedem ſuam in ea habet. Incolæ autem hic habitantes peruerſi admodum ſunt, latrociniis vtplurimum dediti, colore vero, forma, ſtatura & veſtitu corporis ad eos qui, in Iaua maiore degunt, quamproxime accedentes.

Perueniunt ad Chriſſem vrbem in Inſula Iaua maiore ſitam.

Tertio Auguſti leuatis anchoris curſum ſuum Chriſſem & Iordanem verſus direxerunt, quemadmodum etiam circa veſperam eiuſdem diei eò peruenerunt, vbi & anchoras ſuas firmarunt, loco quatuor miliarib. à Rosbaia vrbe diſtante. Ad vrbem autem Chriſſem in Iaua maiore Inſula ſitam cum naue ſua ad 23. vſq; Auguſti ſubſtiterunt, vt & corpora ſua reficerent, viresq; amiſſas recuperarent, & de oryza fabisque ac rebus ad iter neceſſariis aliis ſibi proſpicerent, cum omnia ibi comparatũ facilia ſint, & bubalus quatuor, bos tribus imperialibus, capella nouem vel decem ſtuberis ſiue cruciatis, triginta gallinæ vel anates vno Imperiali veniant, Batatas vero, Bananas, Anaſſes, Magnores & fructus alios exiguo admodum precio comparare ſibi quis magna copia poſſit.

Quod ad Chriſſem ipſamq; ad miliaria aliquot circumiacentem regionem attinet, ſciendum eſt inter regna alia quorum aliquot in Iaua maiore

maiore Insula numerantur, præstantissimam eam & fertilissimam esse, incolasq; habere cæteros omnes probitate facile superantes & Germanis Hollandisq; admodum deditos, qui in hac etiam vrbe diuersorium aliquod seu ædificium habent muro vndique cinctum, in quo semper Mercatores quidam Hollandi, cum incolis & aliis peregrinis nationibus commercia sua exercentes, commorantur.

Chrisse vrbs qualis.

Quod ad Regem huius ciuitatis attinet, sciendum est duos Reges fratres esse regnum ad triginta miliaria obtinentes, quorum qui maior natu est Bastrauani, quæ ciuitas duodecim miliaribus à Chrisse abest, sedem suam habet, alter vero modo in hac vrbe Chrisse, modo Serambaij, (quæ ingens admodum & pulchra ciuitas est quinq; miliaribus à Chrisse fluuium nempe ascendendo, vnde Hollandi hoc tempore aquam potabilem afferebant, sita) residet. Arx quidē quā in Chrisse habet, pulchra admodū est & eleganti artificio extructa, portis centum & amplius conspicua latoq; admodū muro circumdata, quemadmodū etiā vrbs vtraq; muro lateritio siue ex coctis lapidibus extructo, cincta cernitur. In pomerio autem seu interiori murorum parte, turres ligneæ quatuor colūnis impositæ circumcirca, ad dimidium lapidis iactum ab inuicem disiunctæ & supra muros mirabiliter eminentes cernuntur, equitibus ligneis Phrysicis in circuitu passim dispositis.

De Rege Chrissecnsi.

Vrbes in Iauā maiore admodum munitæ.

Causa autem cur vrbes in Iaua Insula tantopere munitas habeant est, quod perpetuis Maderami insidiis expositæ sunt. Est enim Maderamus iste quasi Cæsar siue imperator & Dominus Insulæ Iauæ, cuius sub potestate & imperio omnes Insulæ istius, quæ ad centū & quadraginta quinque miliaria in longitudine patet, incognitæ latitudinis, Reges, ante hæc tempora fuerunt. Et quidem Mediterranei Reges superiorem eum etiamnum agnoscunt, Maritimi vero qui in littore maris habitant, cum subditis & subiectis sibi ciuitatibus non ita pridem ab eo defecerunt, itaq; odio eos prosequitur & quotannis semel in eos mouet. Habitat enim in meditullio ferè regionis & breui tempore ad tria vel quatuor armatorum millia in aciem producere potest, cum autem longum admodum iter terra conficere cogatur, tormenta vero nulla propter altissimorum montium frequentiam secum vehere possit, expeditionem singulis annis vnicam solum, modo in hunc, modo in alium Regem facit, factaque terræ eius desolatione, subditos omnes quotquot capere potest, secum abducit, & tam nobiles quam ignobiles, seruos atq; mancipia facit. Hac igitur ratione moti Maritimi isti Reges vrbes suas tanto opere communiunt, vt adueniente cum exercitu suo Maderamo, ad eas confugere, seq; cum suis tueri atq; defendere ex illis quam optime possint. Cæterū Maderamus iste cū tormenta secū vehere non possit, ea tamen calliditate est, vt adhibitis ad mœnia decem vel viginti millibus per cuniculos ea dissipet & disiiciat. Vt igitur prohibeant Reges, ne muris appropinquantes eos suffodiant & prosternent, turres istas excitarunt. Equites vero Phrysici equitatui formidabiles sunt, eumq; ab accessu suo prohibent, cum equitibus maxime formidabilis Maderamus in bellum proficiscatur.

Maderamus totius Insulæ Iauæ maioris Cæsar seu Imperator.

Eodem quo Hollandi ibi erant anno, Maderamus Chrissem & Serambaiam vrbes oppugnatum venerat, sed nullo profectu, sciendum enim est, ad quartam miliaris partem à Chrisse, supremum totius Iauæ & aliarum circumiacentium Insularum Mahometicum Pontificem, sedē

Chrisse & Serambaia à Maderamo obsidione cinctæ.

Papa Mahometicus in Insula Iaua.

suā habere, eūq; instar numinis alicuius ab omnib. coli; cū nemo sit, quin si mādatū eius trāsgrediatur, moriendū sibi certo existimet. Ad huncigitur Papam siue Pontificem Mahometicum supremum, Maderamus Præfectum quendam suum cum quadringentis equitib. miserat, percunctatum; an vrbem istam oppugnare & subuertere deberet, qui ipsi respōderat, nolle se omnino vt id faceret, sed serio mādare, vt à proposito suo desistens ad locum suum reuerteretur. Huic igitur mandato obtemperans Maderamus ad Serabaiam vires suas conuertit, vbi Rex ipsemet præsens summa ei virtute repugnauit, tormentis enim, quæ ab Hollandis antea dono acceperat, eum ita excepit, vt ingens damnum castris eius intulerit. Cum itaq; videret Maderamus nihil se aduersus vrbē istā proficere posse, iam commeatus & rerum omnium penuria laborare inciperet, necessitate coactus, obsidionem soluit, & re infecta in terram suam reuersus est.

Iordan ciuitas.

Quod ad Iordanem vrbem attinet, ea exiguo miliari à Chrisse, fluuium ascendendo, distat, & Chinesiis maximam partem habitatur, foro ingenti instructa, in quo omnis generis aromata, oryza & vestes sericæ venales habentur. Frequentatur autem quotidie tot hominibus, vt præ multitudine transire vix quisquam possit, quemadmodum Hollandis id aliquoties visum, qui res varias coemendi gratia, terra mariq; eo aliquoties commearunt.

Descriptio incolarū Iauæ maioris.

Quod ad incolas Iauæ maioris attinet, illi insigni sunt humanitate & probitate, statura eleganti & colore spadiceo, viri vt plurimum in superna corporis parte nudi incedunt, medio corpore flaui, rubri viridisue coloris vestitum ad talos vsque propendentem gestantes, Capillum clericorum nostratium instar, vel etiam vulgi in morem radunt, barbam vero plane euellunt, ita vt neminem ibi, quamuis multorum annorum & senio confectum virum, barbatum inuenias. Qui primates vel nobiles sunt, omnes pileolos in capite vel sericeos vel gossypinos gestant, tunicas manicatas vmbilicotenus demissas & in pectore patentes fasciisq; siue ligulis nitentibus colligatas induti. Hi domo egressi, ministros aliquot præcedentes habent, qui ligones ipsis & storeas ex arborū corticib. cōtextas præferūt, aliquot sequētes qui vasa varia calce, Betheles foliis, Arecca item siue Binanga & Tabacca cum pertinentib. ad eam fistulis, chrissasq; seu pugiones vulgaribus preciosiores portant. Cæterum mulieres maxima corporis parte nudæ incedunt, supparo tamen siue indumento quodam tenui à mammis ad genua demisso obuelatæ. Nobiles tamen mammillari siue amiculo sericeo mammas adstringunt, reliquūq; corpus flaui, rubriue coloris panno taffeto ad talos vsq; demisso obuelant, caput amiculo versicolore tegentes, & digitos annulis aureis copiose exornantes.

Nuptias in Chrisse qua ratione instituant & celebrent.

Nuptias celebraturi, processu mirabili vtuntur, Principio enim spōsus domo sua egressus binos vel quaternos prœmittit, pelues quinq; vel sex à pertica pendentes qui gestant, incedentibus iuxta eos, qui baculis ex corticibus nucum, quas cocos vocant, factis & pice oblitis, eas pulsant. Sequuntur deinde tres vel quatuor tympana oblonga baculis vel manibus pulsantes, incedunt item aliqui pelues à collo suspensas baculis pulsantes, atque ita concentum mirabilem excitantes. Præmissis hisce tympanistis, incedūt deinde sexageni vel octuageni, quin imo cēteni, & interdū etiā plures, prout de nobili aliqua ꝓsapia spōsus nat⁹ est,

ligo-

ligones oblongos rubro colore infectos & vel pauonum vel equorũ caudis ornatos, in collo gestantes. Succedunt triceni vel quadrageni clypeos rotundos ex bubalorum coriis factos manu altera, hastas item vel gladiolos præacutos altera, & tela aliquot seu iacula missili à collo post tergum suspensa gestantes. Hi gladiis & clypeis, ita armati subsistunt interdum & modo pugnantes inuicem, modo saltantes, ludos spectatoribus præbent. Nouum porrò agmen inchoant, qui tympana & pelues pulsant, incedunt deinde triginta plus minus virgines elegantissime exornatæ, quarum aliquæ flores; pictas sculptasque imagines, cistulas auro exornatas, vestimenta, supellectilem omnis generis, pelues, arculas asseruandis Beteles foliis destinatas, fistulas ad hauriendũ Tabaccæ fumũ aptas, pocula item lutea & alia id genus nouis nuptis destinata munera gestant. Has sequuntur fœminæ ad nuptias itidem inuitatæ, quæ & ipsæ res varias gestare cernuntur. Omnibus hisce præmissis, sponsus tandem habitu precioso admodũ conspicuus, equo vehitur, cuius vtrũq; latus amici itidẽ equites claudunt, sequẽtib. longo agmine reliquis qui ad nuptias inuitati sunt hospitibus. Ad ędes spõsæ vbi peruẽtũ est, tympanistæ quidẽ oẽs præ forib. aduentũ sponsi pręstolantur; illi vero qui ligones gestant, quemadmodum etiam qui clypeis gladiisq; & hastis armati sunt ab vtroq; latere consistentes, transitum virginibus & vniuerso muliebri sexui ad ædes vsq; permittunt, sponsus autem equo ad ædes vectus, descendit, adestq; mox sponsa aquam ex ædibus in vase aliquo proferens, concidensq; in genua pedes sponso abluit, postea surgens manu præhensum in ædes secum abducit, qui paululũ cum ea in ædibus moratus, rursus egreditur sponsamq; manu ducit, & tum eodem quo venerant ordine ad ædes sponsi omnes reuertuntur. Equus autem post eum dicitur, cumque ad ædes peruentum, ipse sponsam manu introducit, sequuntur conuiuæ omnes, fitque ibi copula maritalis, & nuptiæ tandem, post continuatam trium dierum solennitatem magna cum lætitia finiuntur.

Non licet in Iaua Insula alicui plures quam quatuor aut quinq; vxores ducere, concubinas autem cuilibet, quotquot sustentare & alere potest, habere permissum est. Nam & Rex ipsemet, triginta duorum vel trium circiter annorum princeps, concubinas quingentas & amplius habet, quarum superiori anno centum & triginta, Serambaiæ, cum in palatio regio incendium forte exortum esset, igne perierunt, Rege ipsomet cum vna vxorum suarum vix elapso.

Vxores & concubinæ in Iaua.

Quod ad commercia attinet; ea in Chrisse tam Lusitanis quam Hollandis, dummodo vectigalia sua persoluant, exercere licet, quemadmodũ etiam non pauci Lusitani habitationem suam ibi habent. Die 23. solutis iterum anchoris suis, cursum suum Tubanem versus direxerunt. Eo autem tempore, quo ad Chrissen substiterunt, funera duo habuerunt, vnũ 15. Augusti, Samuelis Harlemii, qui tonsorem in castello Nassouico egerat, & quarto die post Roberti cuiusdam natione Scoti, qui præsidiariam suam operam Hollandis in Banda præstiterat.

Quidam ad Chrissen mortui.

Die 24. ad regnum vrbemq; Tubanem circa meridiem peruenerunt, quæ quidem vrbs quindecim miliaribus à Chrisse abest.

Regnum Tuban.

Die 27. circa vesperam ad multas exiguas Insulas, quæ pleræque incultæ sunt nullisque hominibus habitantur, à Tubane autem septuaginta tribus miliaribus distant, peruenerunt.

Die 28. solutis anchoris, ad Iaquetram vrbem duorum miliarium

Iaquetta ciuitas.

itinere progreſſi ſunt. Cumque circa meridiem eò adueniſſent, proiectis ſtatim anchoris, ad vrbem conſederunt. Eſt autem Iaquetra vrbs ſatis magna, multis hominibus habitata, in qua Rex totius iſtius tractus ſedem ſuam habet. Poſſunt ibi quæ ad victum pertinẽt omnia exiguo precio cõparari, itaq; Hollandi viginti ſex lagenas Aracç, quam populus in itinere liberet, piſces item arefactos ad alta in cibum coëmerunt. Rex eius loci Hollandis admodum fauet, vt ſperandum ſit, caſtellum ibi extruendi copiam facilè eos impetraturos. Quod autem ad incolas ipſos attinet, illi & ſtatura & colore veſtituq; Bantamenſibus per omnia ſimiles ſunt. Reperiuntur ibi feræ beſtiæ, quas Rhinocerotes vocant, & Rex quidem paulo ante Hollandorũ aduentũ vnam ceperat, quæ toto corpore craſſis rigidiſq; clypeis vndiq; circumdata erat, & ingentem clypeum in fronte præferebat cornu rigidiſſimo cubitũ longo armatum. Sed & in dorſo iuxta ceruicem cornu aliquod palmi longitudine cernebatur. Quarto Septemb. leuantes iterum anchoras ſuas, velificationem Bantamum verſus direxerunt, quo etiam ſequenti die ſummo mane peruenerunt, cum vix duodecim miliaribus à Iaquetra diſtet. Portum autem ingreſſi, duas ibi naues, rubrum nempe Leonem & Gaudam, quæ ante octo menſes ex Hollandia ſoluerant, ab anchoris hærentes inuenerunt.

Rhinoceros animal.

Perueniunt Bantamum.

Die 22. Septemb. nauis quædam alia ex Selandia Vehre dicta portum eundem ingreſſa eſt, quæ octo iam menſibus in itinere fuerat.

Quod autem ad vrbẽ & regnũ Bantamũ attinet, eius deſcriptio ſupra, pro loco poſita reperitur. Cæterũ Hollãdi quater mille ſaccos pipere repletos in naues ſuas receperũt, deq; neceſſario ad iter cõmeatu aliũde ſibi proſpexerunt. Habentur in regione iſta tygres magna copia, hominibus damnũ maximũ inferentes. Et Rex quidem paulo ante nauium iſtarũ aduentũ tres tygres ceperat, matrem nempe cum duobus catulis, quæ non procul à Palatio eius catenis ferreis alligatæ cernebantur, & ſeptem homines dilaniatos deuorarant.

Tygres in regno Bantamenſi.

Die 24. leuatis anchoris, curſum ſuum verſus fretum Sundæ direxerunt, cumq; vix duas horas nauigaſſent, Bulobogangum Inſulam prætereuntes, fretum Sundæ aſſecuti ſunt.

Perueniunt ad fretũ Sundæ.

Die 25. circa veſperam ad incultam quandam Inſulam Sabacuam nomine ſedecim miliaribus à Bantamo diſtantem, peruenerunt, vbi anchoris ſtatim proiectis conſederunt.

Sabacua Inſula.

Sequenti die leuatis anchoris, portum tutiſſimũ infra Inſulam ingreſſi ſunt, quindecim diebus ibi ſubſiſtentes, quod in naui aliquid reparandũ eſſet, cõuehebant autẽ in naues lignorũ quantũ ad iter quod reſtabat, ſatis videbatur, cumque neceſſitas etiam eos moneret, vt de recenti aqua ſibi proſpicerent, ſiquidem ad Mauritium Inſulam vſq; octingentorum ſcilicet miliarium itinere nauigantibus ibi terra nulla occurrit, & vero Inſula iſta omnis recentis aquæ vſu deſtituta eſſet, ſingulis diebus ad Sumatram Inſulam è regione eius ſitam aliqui, aquas recentes & potabiles allatum miſſi ſunt.

Toto autem hoc menſe vnus tantũ in naui, Adiunctus nempe mercatorib. Iſaacus nomine, qui in caſtello Naſſouico etiã fuerat, mortuus fuit.

Die 2. Octob. Iohannes Verccius cum duobus ſubmercatorib. tredecim miniſtris nauticis & tribuno militũ, ad Sumatrã Inſulam aquas allatum ſcapha aduecti ſunt. Facta autem excenſione, totum ibi diem commorati ſunt, vrbem nempe, quæ duarum horarum itinere à loco iſto vbi aquæ hauriebantur diſtat, ingreſſi. Cum veſpera facta eſſet, ſcapham iterum

Scapha eorũ ingẽti procella diſsipatur.

iterum ingressi soluerunt, facile sese ad nauem antequam nox fieret peruenturos sperantes. Verum cum vix ad quadrantem horæ nauigassent, ingens tempestas & procella ex mari exorta, fluctus tantos excitauit, vt impossibile esset scapham diutius regere, quæ vndis tota repleta præsentissimum omnibus submersionis periculum minabatur. Abrepti igitur versus terram Sumatræ, & in scopulos proiecti, scapha quidem fracta & dissipata fuit, ipsi tamen scopulis adhærentes vitam conseruarunt, moxq; ex vndis nauigantes in pagum quendam non procul à loco isto distantem, abierunt, vbi pernoctantes vestimenta sua madida ad ignem exposuerũt. Postero die cum venti remisissent, cymba ab incolis mutuo accepta vnũ atq; alterum ad nauem miserunt & statum suum Hollandis aperuerunt, qui emissa scapha alia eos circa vesperam ad nauem adduci curarunt.

Cæterum cum per diem istum ibi adhuc commorandum ipsis esset, hinc inde obambulantes situm & cõmoditatem loci istius omnem perlustrarunt, eamq; oportunam admodum & pulchrã depræhenderunt, incolis summam ipsis beneuolentiam & humanitatem declarantibus. Mulieres ibi offenderunt tam elegantis staturæ, vt vix per totam Indiam orientalem elegantiores reperias, coloris sunt nonnihil albicantis, & dentes habent tam candidos, vt pulchriores in India non inuenias, solent enim reliqui Indiani id plerunq; operam dare, vt dentes nigro colore infectos atros reddant. Quin imo in Iaua Insula pauci reperiuntur, qui natiuos suos dentes habeant, pleriq; enim tam viri quam mulieres, dentes sibi vel euelli vel lima abradi, & alios eorũ loco ex auro, argento, chalybe vel ferro factos inseri atq; constitui curant. Præterea mulieres eius loci catenulas argẽteas, vt & circulos corallinos, collo reliquoq; corpori, annulosq; argenteos brachiis & cruribus indutos gestant. Vestitus earum saccum per omnia refert, eum indutum sub mammis constringunt & ad genua vsq; demittunt. Virum admittere volentes, saccũ istũ sub brachiis colligatum soluunt, viroq; simul iniiciunt, satis occulte res suas peragere se posse sperantes, si vterq; in sacco hæreant. Quod autem viros attinet, illi habitu Bantamensiũ simili plerumq; vtuntur, hastulas seu tela missilia orichalco exornata manibus crissasq; seu pugiones cingulo post tergum insertos gestantes.

Descriptio incolarum Sumatræ.

Die 11. Octob. leuatis anchoris suis per fretum Sundæ transientes, cursum suum versus Mauritii Insulam direxerunt. Die autem 25. Octob. nauta ipsorum Otto nomine. Die 29. faber ærarius Tarquinius nomine, Leouardiensis Phrysius, & 31. minister quidam nauticus Sigebertus Hornius nomine in naui mortui sunt.

Quidam in naui mortui.

Secundo Nouemb. ad Insulam, cui San-Roderigo nomen est, peruenerunt. Distat ea à Sumatra & Sabacua Insulis septingentis & sedecim miliaribus, ambitu suo decem miliaria complectens. Nullis habitatur hominibus, etiamsi quæ ad victum pertinent suppeditare facile possit, piscium nempe volucrumq; satis magnam proferens copiam.

Perueniunt ad insulam S. Roderigo.

Die 3. Nouemb. minister quidã nauticus, nomine Gabriel mortuus est, sed & faber quidã ferrarius Albertus nomine, patria Oldenburgensis, qui præsidiarium in Insula Macau ante hæc tempora egerat, eodem die satis concessit.

Aliqui in naui moriuntur.

Septimo Nouemb. ad Mauritii Insulam, septuaginta quatuor miliaribus à San-Roderigo Insula distantẽ, peruenerunt, cũq; nauẽ Hollandiã, quæ 1. Iulij eodem hoc año à Castello Nassouico soluerat, in portu ibi ab

Perueniunt ad Insulam Mauritii.

anchoris hærentem inueniſſent, proiectis ſtatim anchoris iuxta eam conſederunt.

Die 14. Nouemb. Nauarchi miniſter quidam Iohannes Rudolphus, ſimiliter & 5. Decemb. miniſter quidam nauticus alius Iacobus Buffgius, ex Flandria oriundus; mortui ſunt.

Banda nauis Hollandica ad Inſulam Mauritii aduenit.

Die 15. Decemb. Banda nauis cum celoce, quam dimidiam Lunam vocant, quæ 2. Maij, hoc ipſo 1611. anno ex Hollandia ſoluerant, in portum Mauritij Inſulæ venerunt. Eratq; hæc nauis Banda, quam Hollandi primo ſuo in Bandicas Inſulas aduentu ad Nerohem Inſulam in portu hærentem depræhenderant. Ea enim hactenus in Hollandia morata; alteram ſuam nauigationem iam ſuſceperat.

Mauritii Inſulæ deſcriptio.

Quod autem ad Mauritii Inſulam attinet, ea pulchra admodum eſt & inſignis capacitatis; ambitu ſuo ad triginta miliaria complectens. Licet autem nullis hominibus habitetur, magnum tamen teſtudinum, caprarum & volucrum prouentum ſuppeditat, piſcibus vero adeo abundat, vt fidem ferè ſuperet; Hollandis vno ſæpe captu tantam piſcium multitudinem compræhendentibus, vt omnibus in vtraq; naui ſufficerent. Habentur ibi teſtudines tam marinæ quã agreſtes maxima frequẽtia, tota enim regio illis adeo repleta eſt, vt vbi in ſyluã quis ierit, magna copia eas vel paſcentes, vel ad quietẽ inſtar ouium cõpoſitas & coaceruatas reperiat, ſuntq; tantæ magnitudinis, vt tres ſimul viri vni; quæ nihilominus prorepat, inſiſtere, immo octo vel nouem perſonæ in concha ſiue operculo vnius beſtiæ, (quod Hollandi non ſemel tentarunt) ſedere & cibum capere poſſint. Habentur præterea ibi multæ volucres, vt pote turtures, pſittaci cinericei, gallinæ agreſtes, perdices, corui quos Rabos forcados vocant, & aliæ id genus, ſunt & volucres ibi Cygnos magnitudine æquantes, capitib quaſi cucullati, alis omnino vt & cauda carentes, earũq; loco pennulas quatuor vel quinq; oſtentantes, colore cinericeo, quas Hollandi Toterſas & Walcvogelas vocant. Has magna copia Hollandi manibus quotidiè compræhenſas mactabant & in cibum præparabant, cogebantur tamen ſibi cauere, ne roſtris quib. magnis admodum aduncis præditæ ſunt, vel in brachio vel crure præhenderẽtur, quod virib. valentes morſus inferre non leues ſolerent. Non ſolũ autem hæ, ſed & reliquæ volucres tam cicures ibi ſunt, vt & turtures & pſittacos baculis ferire, manibusq; compræhendere liceret. Reperiuntur in Inſula iſta nigri albiq; coloris ardeæ, itemq; anates & anſeres ſylueſtreq; magno numero. Terra ipſa admodũ eleuata & montoſa eſt. Montes vero arboribus vt plurimũ agreſtib. conſiti, tanta ſunt altitudine, vt nubib. plerunq; tecti & oppleti conſpiciantur, tantusq; eos fumus obnubilet, vt cacumina eorũ oculis aſſequi vix vnquã poſſis. Solũ maxima parte lapidoſum, ſed arborũ tamen ſylueſtriũ admodũ ferax, quæ tanta paſſim copia creſcũt, vt iter facientib. tranſitum vix permittant. Et quidẽ arbores iſtæ ebenus ſunt præſtantiſſima, vel picẽ nigredine ſuperans, & oſſis alicuius inſtar leuigata, & craſſo viridiq; cortice obducta, quanquã & arbores ibi quædam, ligno inſtar ſanguinis rubro, itemque aliæ ligno inſtar ceræ flauo conſtantes, paſſim reperiantur. Veſpertilionum præterea magna eſt frequentia; quæ capitibus vulpes referunt, alas vero tam prolixas habent vt ad orgyam vnam & amplius explicari poſſint.

Diſcedunt à Mauritii Inſula.

Die 24. Decemb. ſolutis anchoris mari ſeſe iterũ permiſerũt. Tanta autẽ trãquillitas in mari ſubito facta eſt, vt nihil promouere poſſet, ſequẽ-

ti tamen

ti tamen die ventus iterum exortus est satis oportunus, itaq; trium tormentorum displosiones sibi inuicem valedixerunt; Banda naui cum dimidia Luna Bantamum, hic vero Madagascarem siue San Laurentij Insulam versus cursum suum dirigentibus.

Die 27. peruenerunt ad Masquerinen, Insulam nempe, octoginta miliaribus à Mauritij Insula distantem, quæ sedecim miliaria circuitu & ambitu suo continet, nec vllis hominibus habitatur, licet ad victum necessarium testudines, piscesq; & volucres multiplices abunde suppeditet.

Anno 1612. die 2. Ianuarij ad ingentem Insulam Madagascarem siue S. Laurentium dictam, quæ centum & sexaginta miliaribus à Masquerine Insula distat, peruenerunt, iamq; porro iuxta littus ad 5. vsq; nauigando processerunt.

Anno 1612. Perueniunt ad Madagascarem Insulam.

Die 5. Ianuarij summo mane sinum S. Luciæ ingressi sunt, vbi proiectis statim in profundum anchoris ad duodecimum vsq; diem consederunt, recreationi corporum nonnihil studentes.

Sinus San Luciæ.

Die 12. ventus de terra grauis admodum prorumpens nauem ad scopulos egit tanta vehementia, vt putarent ea comminuta sibi cum bonis omnibus ibi pereundum esse, Deus tamen auxilio ipsis suo adfuit, vtq; quam primum inde auersi, damni nihil acciperent. Idem hoc & alteri naui Hollandiæ nempe acciderat. Cum igitur ex periculo isto diuinitus liberati essent, missis statim ad littus scaphis suis, Mercatores & alios qui in terram descenderunt, redire ad naues iusserunt, eoq; facto, iter iterum ingressi sunt.

Quod attinet ad Madagascarem siue S. Laurentij Insulam, sciendum est, eam omnium, quæ in toto orbe reperiuntur, maximam esse. Complectitur enim ambitu, & circuitu suo ad nongenta miliaria. Estq; pulchra admodum & frugifera, omnium rerum abundans. Reperitur enim ibi Zingiber, oryza, profert & tamarindas & gossypium, suppeditat poma, citrina, aurea, limonia, vuas item & fructus pulcherrimos alios, nobis plane ignotos. Producit item cuprum ferrumq;. Abundat pecoribus, reperiunturq; oues ibi, quarum caudæ, ad decem, duodecim, imo quindecim & sedecim libras continent. Nec desunt ibi volucres, psittaci & cercopitheci.

Madagascar maxima in orbe Insula.

Incolæ in hac Insula habitantes eximiæ sunt staturæ, colore fusco, nudi vt plurimum incedentes, ita vt ne pudenda quidem sua tegant, reperiuntur tamen qui linteolo vel storea ex arundinibus contexta ea contegunt, quæ in viris tanta sunt crassitie, vt & cum equis comparari possint. Mulieres supra modum lasciuæ sunt, sibiq; non modo non dedecori, sed honori etiam reputant, si quando ab albis hominibus ad concubitum expetantur, viris non solum libenter ad id conniuentibus, sed & vxores suas albis hominibus adducentibus & supponentibus. Populus alioqui humanus admodum & liberalis est, cum quo commercia commodè exerceri possunt. Hollandi certe boues quotquot volebant, optimos & præstantissimos quosq; singulos dimidio imperiali, vel ad summum tribus quadrantibus ab illis redimebant, reliquum verò commeatum, vtpote gallinas, poma aurea, citrina, limonia, lac & alia id gen⁹, pro cærulei, flaui, rubri, albi, nigriq; coloris globulis vitreis, corallinis permutarunt. Eos enim in precio habent, magniq; æstimant, à collo eos suspensos, crinibusq; inuolutos gestantes, etiamsi enim capillum crispum

Descriptio incolarum Madagascaris.

ſpum natura habent, comptum tamen eum & pexum, tam viri quam mulieres in ſpiras contorquent, faſciculo quodam ſeu manipulo crinium in vertice relicto, ſpiris autem iſtis globulos prædictos vitreos intertexunt, maioris eos quam aurum & argentum facientes. Quemadmodum etiam Hollandis præſtantiſſimæ quaſq; & primarias mulieres ad coitum ſollicitatas pro octo vel decem eiuſmodi globulis obtinere, illiſq; pro libitu abuti facile admodum fuit. Omnes tam viri quam mulieres auriculas perforatas habent, foraminibus vero rotunda quædam ligna inſerunt. Quod ad religionem ipſorum attinet, nouerunt quidem Creatorem & Dominum eſſe rerum omnium, qui totum hunc mundum crearit. Obſeruant etiam Circumciſionem, ſed nihil præter ea vel de Deo vel de bonis moribus & honeſtate cognitum habent, in diem viuentes & diſcrimen dierum nullum obſeruantes. Diabolum autem admodum reformidant, à quo horrenda etiam ſæpenumero & crudelia multa patiuntur. Reges tamen ipſorum, qui multi in hac Inſula reperiuntur, omnes ferè Mahometicam impietatem ſectantur.

Tempeſtas ventorum ingens.

Die 19. ingentem experti ſunt ventorum tempeſtatem, quibus nauis adeo exagitata fuit, vt tabulatum nauis & tigna ad ornatum proræ puppiſq; eminentia inundata aliquoties cernerentur & nemo perſuadere ſibi aliud quam ſubmerſum iri nauem poſſet. Deus tamen ex difficultatibus & periculis iſtis clementer eos liberauit, & ne quid damni caperent, prohibuit.

Tertio Februarij miniſter quidam nauticus piſcem quendam ex illo genere, quos Torrados vocant, quinq; & dimidum pedes longum, qua longitudine quidem raro aliquis conſpicitur, tormento confectum ex vndis protulit, quod genuis quidem inter piſces marinos alios, eſu optimum eſt.

Sequenti vero die procellam itidem experti ſunt maximam, cumq; bolidem in mare ſub veſperam demiſiſſent, octoginta quinq; orgyarum profunditatem deprehenderunt, vnde coniectura aſſequi poterant, ſe terræ quæ ex promontorio quod de Anguillac vocant, in mare excurrit, imminere, & vltra decem miliaria à littore non abeſſe.

Perueniunt ad caput bonæ Spei.

Die 5. Februarij Caput bonæ ſpei prætervecti ſunt, quod quingentis & triginta ſex miliaribus à ſinu San Luciæ abeſt, itaq; lætitiam animis concipientes maximam, Deo pro conſeruatione & protectione ſua paterna gratias toto pectore egerunt.

Perueniunt ad San Helenæ Inſulam.

Die 26. Februarij cœpit eis apparere San Helenæ Inſula, ad quam ſequenti die peruenientes, proiectis anchoris conſederunt. Ab eo enim tempore quo in egreſſu ibi fuerant, anni iam tres & nouem menſes elapſi erant. Diſtat autem Inſula iſta à promontorio, quod caput bonæ Spei vocant, ſexcentis miliaribus. Hollandi ibi duodecim dies ſubſiſtentes venationibus operam dederunt, & capras centum, apros vero ſexaginta in commeatum ad nauem detulerunt.

Decimo Martij leuatis iterum anchoris ſuis, velificationem in patriam direxerunt.

Perueniunt ad Inſulam Aſcenſionis.

Die 21. ad Inſulam Aſcenſionis peruenerunt, quæ centum & ſeptuaginta quinq; miliaribus à San Helenæ Inſula abeſt, nulliſq; hominibus habitatur, cum nec fructum vllum refectioni humanæ, nec aquam potabilem

bilem suppeditet. Volucrium tamen magna ibi copia est, quæ tam cicures sunt, vt manibus comprehendi possint. Magnus præterea & piscium ad Insulam istam prouentus est, quæ ambitu & circuitu suo ad duodecim miliaria continet.

Die 2. Aprilis ingentis magnitudinis Haia, naui ad tres horas adnatare visa est, cumq; interdum extra aquam promineret, ad octo orgyas crassa multisq; albis & nigris maculis in tergo conspersa videbatur. Erant in naui qui aliquoties nauigationem istam perfecerant, nunquam tamen tantæ magnitudinis beluam vidisse se sanctè affirmabant.

Quarto Aprilis Æquinoctialis circuli lineam in parte septentrionali præteruecti sunt.

Superant lineam æquinoctialem.

Paulò ante 25. nempè Febr. minister quidam nauticus, Nicolaus Viuelamorius nomine, patria Burensis mortuus fuerat. Die 15. Maij tubicen quidam Henricus Iansonius, patria Lubecensis, mortuus est. Et sequenti Nauarchus ipsemet Leonhardus Crackelius, patria Mittelburgensis, cum quartam iam nauigationem in orientalem Indiam fecisset, quemadmodum & 17. Hermannus quidam Changiesserus Mercatoribus adiunctus, patria Groningensis, fatis concesserunt.

Nauarchus in naui mortuus.

Die 28. Maij ingens ventorum & procellarum exorta tempestas, ad 20. vsque durauit. Sub exortum autem huius tempestatis populus morbis variis affligi cœpit, quemadmodum etiam multi eorum breui tempore, vtpotè Georgius Schachtius classiariorum tribunus, natione Pomeranus, 19. Gerhardus Iansoni⁹ defuncti Nauarchi famulus patria Brucensis, 20. & Eberhardus Simonis Chirurgus patria Hornensis, 21. mortui sunt.

Die 22. peruenerunt ad Insulam San Michaelis, quæ ex Flamensibus Insulis vna est, vini generosissimi satis magnam semper copiam suppeditans. Etsi autem necessitas eos moueret, vt subsistentes ad hanc Insulam reficiendis corporibus tempus aliquod darent, attamen vt iter suum promouerent reditumq; in patriam modis omnibus maturarent, relicta ad sinistram Insula, præteruecti sunt.

Perueniunt ad Insulam San Michaelis.

Die 29. qui in naui Hollandia erant repetita tertium tormenti displosione, vexillum in puppi exposuerunt, vnde qui in Mittelburgo naui erant, colligere facilè poterant, periculum eis aliquod imminere. Quemadmodum etiam ablegata ad nauem Mittelburgum scapha, de periculo eos certiores statim reddiderunt, significantes nempè, Garyophylla quæ in media naui recondita erant, ignem concepisse, & scaphas vti suas mitterent, quibus, si incendium inualescere contingeret, qui in naui erant periculum effugere & conseruari ab interitu possent, petentes. Quibus à Mercatoribus in altera naui responsum est, debere eos Garyophylla accensa in mare quam celerrimè abiicere, idq; vnicè operam dare, ne flamma latius serperet, totaq; postmodum nauis incendio correpta conflagraret. Hoc accepto responso, onera quædam Garyophyllarum nautica in mare statim abiecerunt, iacturam septuaginta millium imperialium facientes, qua nauis tota cum populo & mercibus reliquis per gratiam Dei conseruata & ab interitu vindicata fuit.

Garyophylla in naui Hollandia ignem concipiunt.

Die 30. Iacobus Theodoricus Pautus, patria Roterodamensis, qui præfectum in Castello Nassouico egerat, sequenti autem die Cornelius Guilhelmus natione Hollandus, minister nauticus, nec non Theodori-

Quidam in naue moriuntur.

cus Ianſonius, faber quidam lignarius, patria Edamenſis Nordlandus, mortui ſunt.

Iohannes Verecius hydrope corripitur.

Calendis Iunij, cum animaduerteret Iohannes Verecius brachia & crura ſua paulatim intumeſcere, facilè inde colligere poterat, hydropicum ſe futurum. Cum igitur omnes quos mortuos hactenus diximus, hydrope correpti periiſſent, compoſitis rebus ſuis, ad mortē ſe parauit, verùm per gratiam Dei, ſanitati iterum reſtitutus inque viuis conſeruatus fuit.

Die 4. Iunij videbant eminus duas naues ad ſiniſtram incedere, repetita igitur aliquoties tormentorum diſploſione, vt ad ſe venirent, inuitare eos volebant, qui diſploſionibus iſtis nihil commoti, cœptam velificationem ſuam continuarunt.

Quidam in naui moriuntur.

Cœpit autem ab hoc tempore morbus quotidie in naui magis magiſque inualeſcere, perieruntque Iohannes Verhuffius miniſter nauticus, patria Amſterodamenſis, 6. Thomas Lamaius tonſor, natione Gallus. 7. Iohannes Normannus, patria Bergenſis ex Noruegia. 8. Gerhardus Ianſonius tormentarius patria Hornenſis ex Hollandia. 10. Petrus Isbrandus miniſter nauticus, patria Amſterodamenſis. 11. Lucas Hermannus Vietor patria Steinvviccenſis ex Hollandia, & Iohannes Petri tormentarius, patria Amſterodamenſis, 12. Iunij diebus.

Nauis quædam Hollandica ad eos venit.

Die 13. nauem quandam à ſiniſtris velificationem facere viderunt, itaq; tribus eis diſploſionibus, vt ſe accederent eis ſignificarunt, quibus qui in naui iſta erant auditis curſum ſtatim ad eos ſuum direxerunt, vnde tanta eos lætitia inuaſit, vt cum quam proximè accedentes compellare ſe inuicem poſſent, pileos capitibus abreptos in mare præ gaudio proiecerint.

Nauis Hollandica tranſitum in freto VVeigatſio fruſtra explorat.

Nauis iſta ex ſeptentrione veniens, fretum VVeigatſium perluſtrauerat, miſſa ſcilicet ante menſes quindecim ex Hollandia, vt de tranſitu aliquo per VVeigatſium fretum in orientalem Indiam aperiendo laboraret ſedulo, omnem autem operam hac quidem vice perdiderat, & nihil operæ precium perficere potuerat, glacie nempè impedita, quam ad ſexaginta orgyas profundam craſſamq; depræhendiſſe atq; ita conuerſis velis redire re infecta coactos ſe dicebant.

Hollandis de commeatu & victu proſpicitur.

Cæterum nauis iſtius aduentus perquam oportunus & ſalutaris Hollandis tum accidit, viſaq; eſt ſingulari nutu & prouidentia diuina eis immiſſa fuiſſe, cum enim panibus iam vndecim menſes caruiſſent, totoq; iſto tempore oryza ſeſe ſuſtentaſſent, nauis iſta, quam Geranium vocabant, cuilibet naui, tam Mittelburgo quam Hollandiæ panis mille & quingentas libras, tria vaſa piſorum & eſculenta alia, cum ſexaginta caſeis Hollandicis, & ſexaginta recentis aquæ doliis impertiuit, quæ quam grata ipſis & ſalutaria acciderint, vel inde æſtimare quis poteſt facilè, quod viribus adeo fractis & debilitatis omnes fuerint, vt vix tres & quatuor valentes rectè in naui amplius reperirentur, quibus nauem porro gubernare & domum perducere, hac ſine commeatus ſuppeditatione ſi fuiſſet, vtiq; non licuiſſet, panibus igitur & commeatu reliquo quem ex naui iſta acceperant recreati, vires amiſſas breui recuperarunt, vt naui regendæ inuigilare commodè potuerint.

Præmittuntur aliqui, nuncium de aduentu ſuo in Hollandiam allaturi.

Die 15 nauis iſta Geranium dicta ab illis iterum diſceſſit, accepto ex qualibet naui ſubmercatore aliquo, qui nauigationum Indicarum moderatoribus & præfectis in Hollandia & Selandia conſtitutis nuncium de re-

de reditu suo afferrent, eosq; mouerent, vt ne deficerent in via, naues aliquot populo & commeatu necessario instructas in occursum eis mitterent. Cum enim nauis ista exigua esset, multo eam & velocius progressuram & citius onerarijs istis maioribus domum venturam, spes erat.

Die 16. mortui sunt in naui Gerhardus Martini minister nauticus, patria Enchusanus, & Iohannes Blumius natione Dithmarsus, qui in castello Nassouico præsidiarium egerat.

Die 17. Duæ ipsis naues ad dextram visæ sunt, quarum altera cursum suum rectà ad eos dirigebat. Cum igitur non procul iam abesset, ipsi vt amicos se ostenderent, carbasa colligentes, tormentum aliquod exonerarunt. Verũ qui in altera illa naui erant, vnica ipsis displosione respondentes, conuersis velis abierunt, vt facilè colligere inde Hollandi potuerint, piratas eos esse, qui fortunam suam tentaturi accessissent, videntes vero tam ingentis magnitudinis molisq; naues eas esse, de illis expugnãdis desperantes, ad socios suos se receperint.

Duæ naues piraticæ ipsis visæ.

Sequenti die nauem aliam rectà ad eos tendentem viderunt, eamq; postea sibi coniunctam, Gallicam esse, ex Niffa, vbi piscationi operam dederant, venientem, cognouerunt. Solent enim ad terras eas Americæ vicinas, verno semper tempore naues quædam ex Gallia excurrere, ibiq; per septimanas quinq; vel sex capiendis & saliendis piscibus operam dare, quos deinde in Galliam, indeq; ad regiones etiam alias deuehant. Ex hac igitur naui quingentos eximiæ magnitudinis pisces, quos asellos vocant, facta cum saccis aliquot oryzæ permutatione, acceperunt. Conquerebantur autem Galli isti, se biduo antè in piratas quosdam Anglos incidisse, omniq; commeatu suo ab ipsis spoliatos fuisse.

Nauis quędam Gallica ad eos venit.

Sequenti die, postquam à naui ista discessissent, submercator quidam Abrahamus Bloccius, patria Hamburgensis, & Cornelius Nicolai tribunus militum natione Batauus, Die vero 20. Guilhelmus de Lahe patria Neomagus ex Geldria, qui præsidiarium in castello militem egerat, & Abrahamus Antonius minister nauticus, patria Mittelburgensis ex Selandia, fatis concesserunt.

Quidam in naui moriuntur.

Die 25. abiecta in mare bolide, profunditatem explorarunt, etsi vero ea ad trecentas orgyas descendisset, fundum tamen contingere non potuerunt, vt ita ab Hybernia non procul abesse se amplius colligere inde facilè possent.

Versantur iuxta Hyberniam.

Die 26. Guilhelmus Fortius, quẽ Gubernatorem in Castello Nassouico fuisse supra diximus, patria Neomagus ex Geldria mortuus est.

Guilhelmus Fortius moritur.

Die 27. proiecta rursus in mare bolide, fundum arenæ albicantis ad centum & octoginta orgyas deprehenderunt, vnde lætitia apud illos maxima exorta est, poterant enim inde haud obscurè deprehendere, se ostium canalis iam ingressos, non procul ab Anglia abesse. Gratias itaq; Deo agentes, vt quod reliquum esset itineris absoluere feliciter sibi liceret, eum orarunt.

Perueniunt ad canalem Angliæ.

Die 28. tormentarius quidam, Cornelius Cornelij nomine, ex Flandria oriundus, & Sebastianus Vtgenus, qui præsidiarium in Castello Nassouico egerat, patria Bremensis, mortui sunt.

Accipiunt panem & vinum ex naui quadam.

Die 29. octo naues viderunt, tam longè tamen à se remotas, vt eas contingere non potuerint. A meridie autem eodem die nauem quandam aliam à sinistris rectà ad se tendentem conspexerunt, coniuncti igitur cum se inuicem inclamassent, nauem eam Mittelburgensem esse atq; ex Mauritania venire, nihil tamen præter vinum, corium & Tabaccam afferre, cognouerunt. Ex naui autem ista, nauis quælibet tres cados vini rubri Francici, & cadum vnum vini adusti, duo item vasa pane siligineo siue candido repleta & vasculum dimidium butyri acceperunt, vndè summè exhilarati fuerunt, cum quatuor iam annis nec butyri recentis, nec panis siliginei quicquam vidissent, multo minus verò vino sese rubro Francico oblectassent.

Vident Galliam.

Die 30. primò omnium Christianorum regio, Gallia nempè ipsis apparere cœpit, vnde magnam iterum lætitiam conceperunt, cum mensis iam quinquagesimus quartus ageretur, à quo Christianorum regionem nullam viderant. Deo igitur pro beneficio isto gratias egerunt. Eodem autem die Melchior Iansonius minister quidam nauticus, patria Hornensis, in naui obiit.

Tres naues præsidiariæ ad eos veniunt.

Sub vesperam eiusdem diei tres naues sibi obuiantes habuerunt, cumque aliquanto propius ad eas accessissent, Hollandicas Selandicasque præsidiarias esse viderunt. Summa igitur lætitia affecti, tormenta octodecim exonerarunt, cum ipsi prius omnibus tormentis eos salutassent.

Ex nauibus istis prima erat Viceadmiralis Maris, pulcher Lambertus nomine, altera Iunius Selandicus, tertia Frisius dicebantur. Expositis autem statim in mare scaphis suis, ad naues Hollandorum appulerunt, ipsisq; significarunt ab ordinibus confœderatarum prouinciarum cum duabus adhuc alijs præsidiarijs nauibus, quæ in littore Anglico, ad Golstertum nempè adhuc hærerent, ablegatos sese esse, commeatu necessario omnis generis instructos, vt necessitatibus ipsorum subuenirent, & naues saluas incolumesq; domum deducerent. Distribuerunt ergò in naues ipsorum quadraginta ministros nauticos, quorum opera summè ipsis necessaria erat, ministris quos habebant, partim defunctis, partim ita defatigatis & debilitatis, vt regendis amplius nauibus non sufficerent. Tradiderunt verò ipsis etiam oues aliquot, item anseres, gallinas, & poma aurea, citrina, limonia, panes siligineos recentes, vina Francica alba, cereuisiam Anglicanam, butyrum, caseos, & alia, quorum penuria laborabant. Erant enim in naui quadraginta ægroti & toto corpore tumentes, de quorum vita omnes iam desperarant. Cum verò & cibos hosce recentes & fructus gustassent, diligenti chirurgorum medicamenta ipsis leniter purgantia propinantium cura & opera, tumor iste aqueus dissipatus est, & ipsi sanitati per gratiam Dei restituti sunt.

Perueniunt ad Golstertum.

Calendis Iulij ad Golstertum peruenerunt, vbi reliquas duas præsidiarias naues offenderunt, quæ similiter ipsis oues, gallinas, poma aurea, raphanos, lactucas & alia id genus hortensia cibaria suppeditarunt. Quibus omnibus acceptis velificationem simul omnes in patriam direxerunt.

Perueniunt ad Bortlandiam.

Die 12. ad Bortlandiam quindecim miliaribus à Goltsterto distantem appulerunt, quo quidem die Iacobus Theodoricus, qui præsidiarium in Amboina egerat, patria Lemmertanus ex Frisia, mortuus est.

Die

Die 13. ad VVichtum, quatuordecim miliaribus à Bortlandia distantem appulerunt. Sequenti die vnam ex præsidiarijs nauibus, Iunium nempè Selandicum, plus recentis commeatus allatum ablegarunt.

Perueniunt ad VVichtum Insulam.

Die 15. Beuersiram quatuordecim miliaribus à VVichto distantem assecuti sunt, reuersaq; sub vesperam præsidiaria, quam ablegarunt, nauis, cibos fructusq; recentes varios ipsis attulit.

Die 16. ad tumulos arenarios inter Caletum & Dauernium, locum nempè tredecim à Beuersira miliaribus distantem, delati sunt. Quo quidem die Hollandia nauis, post exonerata tormenta aliquot, quibus valedicere socijs in altera naui voluerant, Texeliam Hollandiæ portum versus velificationem suam direxit.

Hollandia nauis in Hollandiam, altera in Selandiam progrediuntur.

Sequenti die cum ad noctis medium iter suum continuassent, ad breuia & arenas ab Ostenda Flandriæ oppido in mare longo tractu diffusas delati sunt, vbi parum abfuit, quin confracta naui omnes perirent. Erat enim profunditas non amplius quam quatuor orgyarum seu viginti quatuor pedum, nauis vero ad tres cum dimidia orgyas, hoc est, viginti & vnum pedes aquis immersa ferebatur, ita vt non amplius quàm tres pedes à fundo abesset, itaq; missa in profundum bolide, cum periculum istud animaduertissent, perterrefacti omnes sortem suam deplorabant & detestabantur. Cæterum conuersi aliqui ad anchoras, summa eas festinatione in profundum miserunt, factumq; per Dei gratiam est, vt nauis ad iactum anchorarum, sese quasi erigens, profunditatem quinq; cum dimidia orgyarum inuenerit. Itaq; ab anchoris per noctis reliquum hærentes, nauem sequenti die ita direxerunt, vt solutis anchoris commodam profunditatem facilè inuenerit. Commodum autem ipsis accidit, quod nox ista à procellis & tempestatibus libera & immunis esset, illis enim fortè exorientibus, actum procul dubio non de naui solum, quam tanto labore cousque perduxerant, sed & de omnium ipsorum vita bonisque fuisset.

Perueniunt in breuia & arenas.

Die 18. postquam Brugas & Slusam prætervecti essent, post meridiem tandem in Selandiam, ad Vlissingam vrbem appulerunt, vbi honoribus ipsorum, omnium quotquot in vallis & mœnibus vrbis constituta cernuntur, exonerata fuerunt, quibus & ipsi displosione omnium quotquot in naui erant, tormentorum responderunt. Prætervecti igitur vrbis mœnia cum ad Rammecense castellum, non procul à Mittelburgo, à Dauernia autem octodecim miliaribus distans, peruenissent, contractis tandem velis, anchoras vltimo in profundum miserunt. Aduecti autem statim scaphis & nauiculis rerum Indicarum moderatores & præfecti, postquam classiarios & ministros nauticos alios honorificè excepissent, facta ipsis quocunq; vellent commeandi & proficiscendi potestate, sacramento eos soluerunt.

Perueniunt in Selandiam.

Quod attinet autem ad Iohannem Verccium, ex cuius & ore & consignatione vniuersam hanc historiam descripsimus, is Vlissingæ valetudinis recuperandæ gratia ad vigesimum vsq; Iulij substitit, postea vnius miliaris itinere Mittelburgum profectus est, vbi ei pro exantlatis laboribus suis à rerum Indicarum Moderatoribus & præfectis satisfactum est.

Iohannes Verccius Amsterodamum peruenit.

Die 21. Iulij nauem ingressus, Dortam Hollandiæ, quod quindecim miliaribus à Mittelburgo distans, oppidum est, petiit, tandemq; Roteroda-

rodamo, Delphis, Leodio, & Harlemo perlustratis, Amsterodamum 24. Iulij, vnde 27. Nouemb. Anno supra millesimum sexcentesimum septimo egressus fuerat, annis quatuor, mensibus septem & viginti quinq; diebus in itinere exactis, feliciter reuersus est.

FINIS.

ICONES
Seu
IMAGINES, PRÆCIPVAS HISTORIAS ET
RES AB HOLLANDIS IN BANDICIS INSVlis porrò gestas, aliaque nonnulla, quæ memoratu maximè digna in continuatione hac continentur, ad viuum repræsentantes:

TABVLIS ALIQVOT IN ÆS ELEganter incisis illustratæ,

Studio & opera

Iohannis Theodori de Bry.

FRANCOFVRTI,
Typis viduæ Matthiæ Beckeri.
M. DC. XIII.

I. LABETACCA AB HOLLANDIS EXPVGNATA.

POſtquam Bandicarum inſularum incolæ Admiralem, & ſenatum militarem, cum multis Hollandorum militibus nefariè occidiſſent, velut in prima nauigationis huius parte dictum eſt, Hollandi, vt mortem eorum vlciſcerentur, ad Labetaccam vrbem delati, eam oppugnare modis omnibus ſtatuerunt. Cum autem ad vrbem veniſſent, incolasque omnes, qui vndique ad partem littori obiectam ex vrbe confluxerant, in armis depræhendiſſent, cohortes ſtatim aliquot ſcapha poſt montem ardentem, ad alterum vrbis latus traduxerunt, vbi per collapſa magno hiatu mœnia, clàm vrbem ingreſsi, à tergo incolas ad littus deſudantes oppreſſerunt, qui inexpectato iſto aduentu perterrefacti, fugam ſtatim arripuerunt, vrbe Hollandis relicta, qui receptis in eam ſociis, obuios quoſcunque, nulla ætatis ratione habita ferro trucidarunt, vrbemque direptam & accenſam in cineres planè redegerunt.

II.

ÆTHIOPES CONANTVR CASTELLVM NASSOVICVM OPPVGNARE & destruere.

POstquam Bandicarum insularum incolæ, falsis Angli cuiusdam promissis fascinati, ab Hollandis defecissent, eosque ex insulis suis eiicere atque exterminare statuissent, congregati ad quatuor millia noctu aliquoties impetum in castellum fecerunt, ignitis etiam telis interdum in illud coniectis. Cum autem Hollandi paulo ante ab amico quodam Æthiope, de conspiratione incolarum admoniti essent, in excubiis diligenter frequenterque semper fuerunt, & damnum omne per gratiam Dei à Castello propulsarũt. Accidit autem vt miles quidam in ministerio Gubernatoris constitutus, adiuncto sibi alio quodam, nocte quadam per murum, ad Æthiopes, à quibus promissiones splendidas acceperat, transiturus, se demitteret. Verum cum natando fluuium superasset, & ad igniuomum montem, cui Gunapi nomen est, peruenisset, ab aliquibus, qui ex desolato Labetacca oppido ibi superstites consederant, ita exceptus fuit, vt licet annulum & literas à præfectis Æthiopum sibi traditas, ore gestaret, ipsisque exhiberet, cum socio tamen in frusta concisus perierit.

III.

SLANGA CIVITAS AB HOLLANDIS EXPVGNATA ET INCENDIO deleta.

Postquam Bandicarum insularum incolę ad pacem cum Hollandis instaurandam adduci nulla ratione possent, Hollandi habito consilio, armata vi eos aggredi, & in ordinem quacunque possent ratione redigere statuerunt, moxque cohortes aliquot militum ad Slangam ciuitatem expugnādam ablegarunt, qui scaphis in terram delati magno ciuitatē animo aggressi, eaq; sine vlla oppidanorū reluctatione, qui ad propugnaculum suum, quod in prærupto monte iuxta vrbem extructum habebant, summa festinatione se receperant, potiti sunt. Expugnato autem oppido, cum eos persequi, & montem ipsi quoque conscendere niterentur, lapidum iactu prohibiti pedem retraxerunt, oppidumq; direptum, incendio deformarunt, in acie tamdiu consistentes, donec totum deletum & in cineres redactum esset. Quo facto cum præda omni ad naues reuersi sunt, castellumq; nouum non procul à priori, vt sese ab insultu & insidiis Æthiopum eo magis tuerentur, moliri & extruere cœperunt.

IV.

QVA SOLENNITATE NVPTIÆ IN CHRISSE ET IAVA MAIORE INſula inchoentur.

CHriſſe inſignis ciuitas eſt in Iaua maiore inſula ſita, vbi Hollandi multa commercia exercent, cum incolæ ipſis bene admodum cupiant faueantque. Nuptias autem celebraturi, proceſſu mirabili vtuntur. Principio enim præmiſsis, qui pelues & tympana oblonga baculis percutiant, octogeni vel centeni incedunt, qui ligones, pauonum vel equorum caudis decoratos humeris geſtant, ſuccedunt triceni vel quadrageni clypeos & haſtas manibus geſtantes, qui modo inuicem pugnantes, modo ſaltantes ludos ſpectatoribus præbent, ſequuntur rurſus aliqui pelues & tympana pulſantes, ſuccedunt triginta plus minus virgines & mulieres, variam ſupellectilem, munera nempe nouis nuptis diſtribuenda geſtantes. Tandem ſponſus ipſemet equo pulcherrime ornato vectus incedit, comitanturque eum longo agmine ad ædes vſque ſponſæ amici & propinqui omnes. Vt autem ad ædes ſponſæ peruentum eſt, equo mox deſcendens ſponſus pedes ſponſæ, quæ ad ianuam eum cum vaſculo aquæ pleno præſtolatur, abluendos porrigit, eoque facto, domum cum ea ſolus ingreditur.

V.

QVA SOLENNITATE SPONSA A SPONSO DOMVM DEDVCATVR, & nuptiæ finiantur.

POstquam Sponſus cum Sponſa in ædibus paululum commoratus fuit, egreſſus iterum inde & ad conuiuas amicosque, qui interea præ foribus ſubſtiterunt, reuerſus, ſponſam manu ducit, & tum præmiſsis iterum qui pelues & tympana pulſant, eodem quo aduenerant ordine, ad ædes ſponſi omnes reuertuntur, ſponſus autem um pedibus incedit ſponſam manu ducens, equus vero eius poſt eum ducitur. Cumque ad ædes peruentum, ipſe ſponſam manu præhenſam introducit, ſequentibus amicis & conuiuis quotquot inuitati fuerunt omnibus. Atque tum poſt peractam copulam maritalem, nuptiæ tandem continuata duorum vel trium dierum ſolennitate, magna cum lætitia finiuntur. Viro autem vltra quatuor vel quinque vxores legitimas ducere non licet, concubinas tamen cuilibet, quotquot ſuſtentare & alere poteſt, habere permiſſum eſt.

FINIS.

COLLOQVIA LATINO-MALAICA,

Seu

VULGARES QUÆDAM LOQUENDI FORMULÆ, LATINA, MALAICA ET MADAGAscarica linguis, in gratiam eorum, qui nauigationem fortè in Orientalem Indiam ſuſcepturi ſunt, conſcriptæ.

Studio & opera

M. GOTARDI ARTHVSII
Dantiſcani.

FRANCOFVRTI,
Typis viduæ Matthiæ Beckeri.

M. DC. XIII.

Latinè.

COLLOQVIUM DE ADVENTV NAVIS

cuiuſdam, quomodo nempè Præfectus eius coram Rege compareat, & quid præterea ibi agatur, more Indico ſeptem perſonis conſcriptum, quarum nomina ſunt, Dauid, Abraham, Mandatarius, Portitor, Rex, Fæmina & Præfectus nauis.

D. SAlue Abraham.
A. Et tu Dauid.
D. Vndè tu tam manè.
A. E foro.
D. Quid noui? nunquid nihil audiuiſti de aduẽtu alicui⁹ nauis?
A. Audiui tormentorum tonitrua, quod ſignum eſt aduentantium nauium.
D. Ego autem audiui, nauem Guiſerato aduenisse.

A Quid autem apportat merciũ?
D. Onerata eſt oryza, dactylis, & vuis paſſis, affert etiam multos pannos omnis generis, & goſſypij plurimum.
A. Eſtne hoc ita? Nuncium hoc certè exoptatum eſt.
D. Audiui pro verò ita affirmari.

A. Deo itaq; annuente, panni & merces aliæ comparatu faciles erunt.
D. Imò (Deo volente) commodum hoc erit multis pauperib⁹ q̧ malè veſtiti incedũt, cũ panni in magno precio diu fuerint.
A. Hoc verum eſt, quia imò & oryza, tam excuſſa quàm non excuſſa, & cibi alij vt carnes, piſces, & edulia alia.
D. Speramus iam meliora, nam tempus eſt, vt naues ex Bengala, Moſelipatane & locis alijs adueniant, quæ omnes pannos & oryzam excuſſam apportant.
A. Quis eſt ille, qui illinc aduenit, ingenti Elephanto vectus, & tot hominibus eum comitantibus ſtipatus?

Malaicè.

SATOE BERKATTA SAMMA DERRY SAMPEY CAPAL

pey Capal: derri manna Nachgoda datan ádap páda Sultaen: Lagí appa datan, tIeire negry Ooſt Indien: deng' an toujouh orang, bagj Daoedt, Ebrahim, ſatoe Sydá ſidá, Pongolo, pintou: Sultaen, ſatoe párampou'an, iang Capitaen Capal.

D. ES ſalemalecom, Ebrahim.
A. Malecom ſelam Daoet.
D. Derrj manna datan pagí hari?
A. Beta datan derrj pakan.
D. Appa ach gabar? tieda gabar barou derrj barang Cappal?
A. Souda beta deng'ar boenjí bedyl, iang itoe alamat derri Cappal dágang.
D. Lagi hamba deng'ar catta iãg ſatoe Cappal derri Guiſerat ſouda datan.
A. Appa pervinjága de báva di'a?
D. Ini ber'iſi: ken Senam, ken Gorma, Zebibt: lagj bavadia banja káyjn álus derrj ſamoe'á ienis: lagj Capas banja.
A. Begítou? itoe gabar banja baick.
D. Ia beta deng'ar catta ſach begitoe.
A. Iang datan (Inſialla) káyjn, lagi barang barang lain iadí morra.
D. Ia, (Inſialla) lagi iadí baick ken orang kaſſieen, iang tieda berkayin: carna kayin lamma mahal.
A. Itoe ſongo: lagí padé, bras, deng'an ſommoenja macca nan láin poen máhal: bagí dáging, ikan iang lá ouck láin.
D. Sakaran baick poelang: carma ſacaran moeſim cappal derrj Bengalí, Moeſelipatan, lagi benjaer ítoe datan; iang de'a bava ſammoenja, kajin deng'an bras.
A. Siappa itoe iang datang ſini atas Gayja beſar, iang adda orang banjá de ekóet de'ea?

 D. Sa-

Latinè.	*Malaicè.*
D. Sabandar is eſt cum Secretario.	D. Itoe Sabandaer deng'an Pongolo Cornon.
A. Video etiam peregrinos homines ei inſidentes, qui illi quæſo?	A. Beta liat lagi doudock átas orang dagang, orang appa tácok itoe?
D. Præfectus eſt Guiſeratius, qui modò cum naui ſua aduenit, is ad Regem iam deducendus eſt.	D. Itoe la Nachgoda Guiſerat, iang bárou dátā deng'an Cappal deá, iang de bava de'a n'adap pada rayja.
A. Quid eſt quæſo, quod Elephas quidam rubro panno veſtitus incedit, quem tympaniſtæ & tubicines procedunt.	A. Appa alamat itoe, iang ſatoe Gayja, ter packay ken ſakelat miera, iang gendrang orang namfieri, daen orang ſerenez ialan doulouw?
D. Elephas quem cernis, & vir qui in impoſita ei domuncula ſedet, indicio ſunt, eas Regis ſui literas, Regi noſtro afferre.	D. Iáni Gayja tun liat, iang orang doudock dalā rincka atas Gaya, itoe alamat día bava ſoerat derri rayja di'a akē Tuankyta.
A. Quis autem literas iſtas habet.	A. Syappa bava ſoerat ſakaran?
D. Vir ille qui Elephanti inſidet.	D. Oerang dodock atas Gayja.
A. Quis eſt ille qui ei inſidet?	A orāg appa itoe doudok de atas.
D. Eſt quidam ex nobilibus Regis, ab eo ad hoc electus.	D. Itoe ſaetoe Orang kayá detri Sultaen terpilleh.
A. Quo autem hæc ſpectant?	A. Carna appa karyja itoe?
D. Ad honorem Regis à quo literæ afferuntur.	D. Carna de gormat rayja, iang poenja ſoerat.
A. Quid autem eſt, quod video tot viros & iuuenes eum ſequi, quorum quilibet manibus aliquid geſtat, panno colorato pulchrè contectum?	A. Lagi appa itoe beta liat datan banja orang daen boudack bava commedyen ſa orang dalam tang'an, deg'an pertia berlukis ter toutoup?
D. Munera ea ſunt, quæ Prçfectus Regi offerre debet.	D. Itoe toeffá ſombahan pada Nachgoda iang día ſomba'aken raya.
A. Offert ne ea loco vectigalis pro bonis ſuis, an amplius quid vectigalis nomine ſoluere cogitur?	A. Adde itoe carna ouſour atta diaattoeu bayar déa ou ſour layn?
D. Non. Vectigalis nomine ſoluuntur ſeptem pro centenis.	D. Tieda, ouſour lagi derri ſaratos toujou.
A. Quid honoris Rex contra his hominibus exhibet?	A. Appa gormat de bry rayja carna itoe ken dé'a?
D. Vbi ingreſſi fuerint, honorificè eos excipit.	D. Itoula, manna calla di'a maſock pada rayja de bry gormat bang'ia.
A. Quid fit igitur?	A. Maya bekerryja ſana?
D. Editur, bibitur, proponuntur eis omnis generis dapes & fructus, luditur, ſaltatur, exercen-	D. Sana de'a maccan my nom, de bava berang maccanan lagy barang ienis bókayou, lagy di'a

tur ber-

Latinè.

tur omnis generis voluptates, Tubis, lituis & tibiis aliis canitur, tympana pulſantur. Quin & veſtimentum Rex, pro ratione huius loci factum afferri curat, & Præfecto illud donat.

A. Eſtne hic mos huius regionis.
D. Ita moris apud hunc Regem eſt, & apud alios etiam fuit.
A. Nunquid amplius quid Rex facit?
D. Non. Cum enim hæc facta ſunt, Rex eos cum Elephante domum iterum ducendos curat.
A. Ego quidem cuperem hæc omnia intueri.
D. Age ergô ſequamur illos.
A. Nunquid non iam ingreſſi ſunt. Diutius hic commorati ſumus.
D. Non ſunt, non enim poſſunt portam ingredi, niſi prius ſignum detur à Rege.
A. Itane? Veni ergo, eamus ocyus.
D. Viden'? Omnes adhuc præ foribus conſiſtunt.
A. Verum eſt, ſed quis ille, qui cultrum auratũ manu tenens egreditur?
D. Is mandatarius eſt Regis.
A. Quo cum cultro ei eundum eſt?
D. Ille aduenit adductum intro Præfectum.
A. Culter ille quomodo vocatur? annon alio is aliquo nomine venit.
D. Ita, vocatur enim ſi'ap, quod idem eſt, ac ſi dicas ſignum à Rege.
A. Ad quẽ mandati quid habet?
D. Ad magiſtrum portarum.
A. Video, ꝙ ei ſiappum tradit.
D. Verum eſt, ſed veni, audiam⁹ quid ſit dicturus.

Malaicè.

bermeyen, narry, deng'an ſoucka banja adda ſana, bagy ken tyop nanfiry, daen ſerreney, deng'an, de tyop banſi, daẽ de giſſing harbab: lagy ſoeroh ambil tuan kyta ſatoe ſalin tjerre negry ſini, iang de bry ken Capitain.

A. Itoe adda tjerre negry ſini?
D. Ia, begitoe adda tjerre raija ſini, lagí raija iang douloeu adda poen begitoeu.
A. Bekerija raija barang láin.
D. Tieda, ianii ſouda iang ſamoenja itoe, de ſoeroh Tuankyta deng' an Gaija combali pada roema di'a.
A. Beta ſoucka de líat itoe la ſammoenja.
D. Baick boela kíta ekoet di'á.
A. De'á belom ke dalam? kíta lambat béna ternanti.
D. Tiedà: carna dé'a tieda dapat maſack pintou, attou mau douloudatan derri dalam alamat raija.
A. Adda begitoe boela kita ialan lekas.
D. Adda kíta liat? ſini dieri lagi ſamoenja de nanti.
A. Itoe ſongo: lagi ſiappa itoeu, iang datan deng'an piſſou bermas dalam tang'an.
D. Itoe ſatoe ſida ſida raija.
A. Manna ijá pegí deng'an piſſou itoeu?
D. Ijá datan carna maſſock Capitain.
A. Appannama piſſou itou? tied' adde namma láin?
D. Ia namma ini Si'ap, iang artienja alamat pada raija.
A. Akẽ ſiappa día ioẽjong ſabda?
D. Aken Pongolo Pintoeu.
A. Beta liat día bri Siap kẽ orang.
D. Songo itoe: boela kita dég'ar appa i'a berkatta.

Latinè.

Mandatarius qui Siappum gestat alloquitur portitorem.

M. Heus, vbi es portitor?
P. Adſum, quid me vis?
M. Accipe mandatum à Domino noſtro.
P. Ego audiam (volente Deo).
M. Mandatum Regis (volente Deo) eſt, vt præfectū cum populo ſuo intromittas.
P. In Nomine Domini. Laus ſit noſtro Regi.

Mandatarius alloquitur Regem.

M. Majeſtas tua ſciat, præfectum hic ad portam adeſſe.
R. Benè eſt, ſtatim intromittetur, ſed tu abi, accerſe prius fœminam.
E. Quid expetit Majeſtas tua?
R. Omnia ne parata ſunt, pro excipiendis & benè tractandis peregrinis hoſpitibus?
F. Omnia parata ſunt Domine nr̄ Rex. Primo enim ſuſpendimus ſericeum illud veſtimentum cæruleum, auro exornatum, ſupra caput, loco cadurci ſiue tegminis, omneſque columnas ſerico induimus. Deinde ſupra caput Maieſtatis Regiæ veſtimentū holoſericeū rubrū, ex auro foliatum, & pro peregrinis hoſpitib⁹ veſtimentum ex holoſerico viridi, cui Tygris & Rhinoceros ex auro intertexti ſunt. Mulieres quæ choreas acturæ ſunt, ſericeo rubro & viridi veſtitu induim⁹, catenulas aureas collo appendim⁹, monilia precioſis lapidibus exornata pectori applicuim⁹, annulos aureos pyroſis & adamātibus nitētes digitis, armillaſq; aureas brachijs & cruribus earum induimus.
R. Benè eſt, videte vt omia ita inſtruantur, ne mihi contumelię macula aſpergatur.

Malaicè.

Seſida attou orang bava tSiap catta aken Pongolo Pintoeu.

G. Hou, manna tun Pongolo Pintoeu?
P. Beta ſini appa mau kamoe?
G. Samboet ſabdæ Tuan kita.
P. Hamba deng'ar (inſialla.)
G. Sabda raija (inſialla) kamoe bri Nachgodá deng'an orang día maſock ke dalam.
P. Biſmilla: dáulat Tuankyta.

Seſida berkatta aken rayja.

G. Daulat Túankoe iang Nachgoda adda ſini de pintoeu.
C. Baick itoe: di'a maſſock ſahat lagi: rowa iang parampou'an ſini.
V. Appa mau ſerpada?
C. Adda aſſil ſammoenja? carna de iamoe orang dagan bay baick?
V. Adda ſamoenja aſſil túankoe: moela moela adda kita gantong iang kajin biroe ſultro, kē káſap bermas, ken lang'it atas Capalla: lagi tiang ſammoenja ken ſultra miera terbálut, la'in de atas cappalla ſerpada, ſatoe ka'ín mockemal myra, ken kaſap mas berbong'a, lagi tempat orang dagang iang doedock ſatoe kajin mockemal yjou, adda dalam ſatoe Harrimou mas deng' an ſatoe Badack, lágy parampou an iang bernarry, dalam ſultra miera daen yjou tet packey deng'an tali mas de la heer daen boelan mas pnoh ken parmatta de átas dada bergantong, lagy tjintjin, deng' an parmatta poedi béram, bobo de iary, láin de káky daen tang'an poenja glang mas.
C. Baick karyja ſamoenja májelis deng'an baick iāg'an ako brulle má louwan.

F. Omnia

Latinè.

F. Omnia Deo iuuante rectè curabuntur.

R. Intromittite præfectum.

M. En præstò est Rex.

R. Accerse mihi interpretem, vt cum præfecto loquar.

M. Ipsemet Malaicam linguam callet optimè.

R. Itanè? nunquid antea hic quoque fuit?

M. Ita Rex, est enim præfectus Salomon, qui ante biennium hic fuit, cum duabus nauibus Mecha huc aduectus.

R. Deponite vestimentum illud, & insternite ei stoream ex taffeto factam, vt præfectus ei insideat.

P. Laus sit Regi, is à me mancipio suo rogatur, vt mihi liceat eum alloqui.

R. Loquere quod libet.

P. Postquam per Dei gratiam in hūc Maiestatis vestrę portū appuli, & anchoras meas firmaui, factū est, vt cū à Rege meo, has Maiestati vestrę literas allatum discederē, ipse mihi adhuc aliud quid in mādatis daret, q̄ corā Maiestati vestræ exponerē; quāuis idē etiā in literis hisce contineatur, nempè si Maiestas vestra nauibus aliquot prę sidiarijs, triremibusúe opus habeat, vt ipsi hoc per literas significet, cū in nostris regionib⁹ abūde ōia, quæ ad apparatū bellicū pertinent, reperiantur, nēpè naues prę sidiariæ, tormēta maiora & minora, hastæ, gladij, machæræ, thoraces ferrei, puluis tormentarius, funes igniarij, globi ōis generis, ferrum, plumbum, æs, stannū, & quicquid excogitari potest.

R. Deo sit laus, cum Rex vester me ita consoletur, Deum rogo vt id ei retribuat.

P. Amen.

R. Da-

Malaicè.

V. Insi alla samoenja adda moesteyt.

C. Soroh Nachgoda massock.

G. Adda finy Túankoe.

C. Soroh massock iurebassa, carna áko dapat berkatta kē Capitáē.

G. Ija taeu diarinja bassa Maleyo.

C. Begítoe? adda yja lagy kemaree?

G. Adda, Túankoe, itoe Nachgoda Soliman, iang adda finy lepas dua tawon, tat calle yja ken dúa cappal derri Mocka datan.

C. Bobo kaijn ytoe de beva, bobo satoe tykar dúalapis iang alus deatas soeroch doedock ken Nachgoda.

C. Daúlat Chayalam: somba hamba Sirpada aken somba hamba.

C. Katta souka kyta.

C. Bagi beta deng' an á noggerha alla sini de tlock Sirpada datā, sana poen berlabo: adda tatcalle amba tingal reyja beta, ken bava de finy ken Sirpada iang estemy kyrim' an, soroch día beta sombah ken moelot, wellahin boenij foerat begítoe, jickellou sirpada barang cappal górap, fusta, attou sampan prang adda bergoena, sirpada ham ba de bry taeu ken sourat: carna dalam negri kyta, addo samoenja mamoor, iang sinjata prang: bagi bedil bessar, espingard, tomback, pedang, presey, zyereh, oubat bedil, soboe bedil, bó'a bedil barang ienis: Lagi tieda coerang bissi, tima ítam, tambagga tima poutee, lági appa dapat tjinta.

C. (Alhem de lilla) iang rayja kamoe kassche haty ken d' áko, Álla de balas ken d' ía poelang.

C. á mien.

C. Bryla

Latinè.

R. Date præfecto, quod edat de fructibus, curate vt muſica exerceatur & choreæ fiant, percutiantur tympana minora, tibijs canatur, tympaniſtes officio ſuo probè fungatur, proponite cibum præfecto, porrigite ei de aſſa capella, & de gallina elixa, cum iuſculo, guſtet & piſces in noſtris aquis captos, infundite vinum & afferte præfecto. Heus præfecte præſta te hilarem, ede & bibe, etiamſi ego non bibam, ego medicinam hodie adhibui.

P. Gratias ago Maieſtati veſtræ. Ego quidem nihil facio aliud, quam quod edam, bibamque & me hilarem præbeam.

R. Ite, afferte veſtimenta quædam pro præfecto, tunicam nempè rubram, faſciam ex taffeto, auro fimbriatam, veſtitum flauum auro intertexto nitentem, cingulum literas Arabicas auro intertextas exhibens, pugionem cum circulo aureo gemmis exornato, cuius manubrium ex corallio nigro factum eſt. Curate vt Sabandar veſtitum hunc ei induat.

P. Gloria ſit Regi.

R. Curate vt Elephantes pugnet, mactetur bubalus, eiuſq; dimidium inter miniſtros nauticos præfecti diſtribuatur, cum in itinere parum recentis carnis comederint.

P. Gloria ſit Regi. Ego autem Maieſtatem tuam rogo, vt mihi abire liceat, cum nox iam inſtet.

R. Benè, vbi volueris, ſed vt quotidie me accedas meq; viſites volo.

P. Si Deus ita voluerit.

R. Producatur Elephas, quo domum præfectus vehatur. Exhibe autem ipſi mala iſta aurea &

Malaicè.

C. Bryla ken Capitaen bo káyou ken makan, ſoeroh bejanjy deng'an narri, ſoeroh poukol narfanadeng' an tiop banſi, ſoeroh orang harbap gaſſing harpap, bobo mackan adapan Nachgoda, bry ken di'a derri itoe cambing pangang, derri ayam reboes ken quach, bry raſſa deri pada ékan ſong'ey bobo arack ſana aken Nachgoda hou Capitaen ſouká, mackan minom, jickáko tieda minom, ſabab amba ber' oubat.

C. Daúlat dergaheyo Túankoe, beta tieda kerrija láin ke mackan minom deng' an foucka.

C. Pegi ambil ſalin áken Nachgoda bava ſatoe bajou ſultra miera, ſatoe tanckollock warna, ken kaſſap mas, ſatoe ka'in kóning berſouij ken mas, ſatoe ékat pinggang deng' an ſoerat mas t'jere Arab, ſatoe cris deng' an bawar mas penoh ken parmatta, capalla cris de khalbar *i*tam ſoeroh *Sabandaer*, packey de'a.

C. Daúlat Tuankoe.

C. Soeroh Gayja berlawan, ſoeroh ſatoe karbou ſommeleh, bri ſeting' ach aken Gallaſsí Capitayn: carna dalam láoet dia tieda mackan dáging *i*dop.

C. Dáulat derga heyo Túankoe, ſomba de parhamba Sirpada méhon cambali, carna hari petang.

C. Baick bágy ſoucka ka moe, wellakin datan ſahári hári.

C. Inſi alla.

C. Soroh bry áken Capitaen ſatoe Gayja, carna ija poelang ke roemà, bry ken diá itoe limo-

en

Latinè.	*Malaicè.*
granata dulcia.	en manis, deng' an boa delyma ſarta.
P. Deus conſeruet & cuſtodiat Regiam V. Maieſtatem.	C. Alla de toelong ken Sirpada cheyálam.
R. Deus fons omnis boni ſit etiam tecum.	C. Alla te Ala adda ſarta kyta.

COLLOQVIVM SECVNDVM, PRO COEMENDIS CIBARIIS & commeatu vario, vbi ad peregrinam regionem fuerit peruentum. Suntque perſonæ interloquentes, Germanus quidam, Indianus & Rex.	IANG DVA BARKATTA SAMMA TATCALLA MOELA ſampey dálam ſatoe negri dagang, ken bly maccanã ſatoe orang Hollande, ſatoe orong Indiaen, deng'an ray ja di'a.
G. SAlue mi Domine.	D. Eſſalémalécom Túan.
I. Salue & tu.	I. Malécom ſelam.
G. Ignoſce mihi Domine, quod te alloquar.	D. Sentáby túan beta berkatta ken túan.
I. Quid eſt quod me vis? fac audiam.	I. Appa mau kamoe bertaínja ken amba? byer amma deng'ar.
G. Nunquid non conſtat Domino, an nuper peregrinæ quædam naues hîc fuerint, quæ ex peregrinis regionibus venerunt?	D. Tieda tauw túan hamba, jicke barang cappal dagang barou adda ſiny, iang datan derri negry iauw?
I. Imò tres hic fuerunt naues, ſed iterum diſceſſerunt.	I. Ia adda la tyga capal ſiny, Wellákin ſouda ballayer poelang.
G. Diunè eſt quod hinc ſoluerunt?	D. Adda día lamma ballayer?
I. Non, ante tres ni fallor hebdomadas.	I. Tieda, bárang tyga ioúmat.
G. Quid autem hic egerunt?	D. Appa día kerryja ſiny?
I. Nihil niſi quod de commeatu ſibi proſpexerunt, ementes mala aurea, limonia, Bananas, mel, oryzam, boues, bubalos, capras & oues.	I. Día tieda bly la' in ke maccánã, bagy lymoen manis, lymoen cáp'as, piſſang, ayermádoe, bras, lemboe, karbouw, cambing, deng'an bierebiry.
G. Quamdiu hic ſubſtiterunt?	D. Barrapa lamma di'a ſiny?
I. Dies circiter viginti, multos enim habebant ægrotos, eos in ædes quaſdam traduxerunt.	I. Barang dúa poele hary, carna adda banja orang ſakit, iang de tancko ſiny dalã ſatoe roema.
G. Multine ex illis mortui ſunt.	D. Matty banja orang dya?
I. Sex, vt nobis quidem conſtat, multi enim ex illis iterum conualuerunt.	I. Barang nam orang deng'an taeu kyta, wellakin banja adda ſombo poelang.
G. Aſſumpſeruntne etiam recentem aquam?	D. Dya adda de ambil ſiny ayer manis?
I. Ita ex fluuio quodam, poſt collem iſtum promanante.	I. Adda dálam Song'ay debalaacan oujong ytoe.

Latinè.

G. Eſtne aqua ea bona & ſalutaris? poteſtne etiam ſcapha ad eum nauigari?

I. Ita, ſcapha veſtra commodè accedere & recedere inde poteſtis.

G. Neſcitis quo curſum ſuum direxerint?

I. Conſtituerant, vt videri quidē volebant, Atcheinam vel Bantamum nauigare, vt piper vel Garyophyllos emerent.

G. Fuerint igitur Hollandi neceſſe eſt.

I. Qui autem vos eſtis? & vnde venitis?

G. Boni homines ſumus, ex longinquis regionibus aduecti.

I. Quodnam eſt nomen Regioni veſtræ.

G. Regio noſtra vocatur Hollandia.

I. Cur autem huc veniſtis?

G. Venimus huc aduerſa tempeſtate compulſi, emptum commeatus recentis aliquid, diu enim in mari iactati ſumus.

I. Bene eſt. Ego ad Regem referam peregrinas naues aduenisse.

G. Si placet, mittam ego tecum duos viros ad Regem.

I. Age fac vt lubet.

G. Quid ſibi vult tanta armatorum huc aduenientium copia? Quos ego tubarum, quos lituorum audio ſonitus?

I. Rex ibi procedit cum vniuerſa aula ſua regia.

G. Si hoc ita eſt ego ipſemet obuiam ei ibo, vt honorem & reuerentiam ei exhibeam.

I. Agè, Eamus vnà.

R. Qui ſunt homines illi, qui nobis obuiam procedunt?

I. Rex, homines ſunt, ex longinquis regionib. iniuria tempeſtatis huc reiecti, veniunt autem commeatum pro populo ſuo emendi cauſa.

Malaicè.

D. Adda ayer baick? dapat ampir ken ſampan?

I. Ia, tun dapat deng'an ſampan kélouwar maſſoc.

D. Tieda túan tau manna dya mau poelang?

I. Khandack dya adda, bagy catta dya, k'Atche attou ke Bantam ambil lada.

D. Itoe la orang Hollanda.

I. Orang appa kamoe? derri manna datan kamoe?

D. Kyta orang baick, datan dérri negry iáou.

I. Appannamá negry kamoe.

D. Negry kyta namma Hollanda.

I. Appa bowat engkou de finy?

D. Kyta datan ſiny carna angin ſallach, iang mau bly maccáñan, carna kyta adda lamma de láoet.

I. Baick beta pegy ſomba ken Sultan, iang cappal dagang adda datan.

D. Iicka túan mau, beta ſoeroh dúa órãg ſarta moe pada rayja.

I. Baick beta káboel.

D. Boót appa datan bagy toe òrãg banja ſammoenja tanggong ſinjatá? lagy beta dẽg'ar boenji namfieri deng'an ſeroney.

I. Itoe Sultaen deng'an rayat di'a.

D. Bagítoe? beta pegi díry hamba ken ſomba áken día.

I. Baick, pégy dúa kyta.

C. Orang appa itoe datan ſini?

I. Tuankoe itoe orang datan derri négri iaúw, ſini carna ang'in ſallach, mau mackanan ken orang dí'a.

R. Iube

Latinè.

R. Iube accedant, vt eos audiam loquentes.

I. Bene eſt Rex, En adſunt.

R. Qui eſtis vos, & quid veniſtis hic acturi?

G. Rex, nos quidem mercatores ſumus ex longinquis regionib. venientes & ventorum iniuria huc reiecti.

R. Diune in mari verſati eſtis?

G. Ad quatuor circiter menſes.

R. Quo igitur tendere vobis decretum eſt?

G. Decreuimus Bantamum nauigare; piperis, Garyophyllorũ, nucum myriſticarum & Macis emendi gratia. Cum autẽ huc reiecti ſimus, rogatã volumus Maieſtatem veſtram, vt faciat nobis aquæ potabilis aſſumendæ & cibos aliquot recentes coemendi copiam.

R. Quid mercium igitur affertis?

G. Afferimus aurum, argentum, pannos, globulos corallinos, ferrum, plumbum nigrum & candidum, mercesq; alias omnis generis, vt ſpecula, cultros, forpices, pectina; perſpicilia; tubas, fiſtulas, vitra, & quicquid cogitari poteſt.

R. Benè eſt, Et hic accipietis vaccarum, bubalorum, caprarum, variorumq; fructuum quantũ volueritis. Ego enim ſubditis meis imperabo, vt vobis quicquid expetieritis diuendant.

G. Deus Regem conſeruet & tueatur.

COLLOQVIVM TERTIVM, PRO EMPTVRIS COMMEATUM in regionibus Indicis. Perſonæ interloquentes ſunt, Germanus & Indus.

G. Salue mi amice.

I. Similiter & tu mi Domine.

G. Nihilne habes quod mihi ex vſu ſit?

I. Quales vos eſtis homines! & vnde venitis?

Malaicè.

C. Soe roh kemaree, jicka áko dapat deng'ar berkatta.

I. Baick túanko: adda zyni.

C. Orang Maya ankou? appa datan kamoe tjary ſini?

D. Tuanko kita orang ſoudagat jang datan derri ne gry iauw, karna toffaen goegor ſiní.

C. Adda tun lamma delaoet?

D. Barang ampat boelan.

C. Manna khandak kamoe poelang baleyer?

D. Khandack kyta mau ke Bantan ken lada, Bong'a lawang, Bópalla, Bas bas: carua kita ſakáran gougor ſini, mehon áken dulli ſerpada, ken ambil de ſini barang ayer manis, lagi ken bli barang mackánan.

C. Appa paruiniaga kamoe baua ſerta?

D. Kyta baua mas, pérack, ſackelat, pólam, biſſi, tíma itam, tíma poutee: lági barang ienis ienis paruiniaga bági t'jierement, piſſou, gonting, ſiſir, t'jirment matta, gingong, banſi, katja, lagi barang dapat t'jinta.

C. Baick itoe, ſini poen adda banja barang barang, bagi lemboe, karbou, cambing, iang bókayou, adda banja barang bergoena kamoe: lagi áko ſoroh orang beta de iuwal ken kamoe ſamoenja.

D. Daúlat Túankoe.

IANG TYGA BERKATTA SAMMA, AKEN BLY MACKAnã dalã negry India, ſatoe orang Flandris daen orang Indiáen.

D. Alla bry ſalámat ſobatkó.

I. De kamoe begítoe quiha' hy.

D. Tied adda barang mau beta?

I. Orang appa enkoú? derri manna tun datan?

Latinè.

G. Nos mercatores ſumus ex longinquis regionibus venientes cõmercia hic exercẽdi gratia.

I. Quid mercium vultis?

G. Expeto commeatum & cibum pro ſociis meis, quorum multi ægroti ſunt, cum quatuor iam menſes in itinere fuerimus.

I. Hoc eſt iuſto diutius in mari verſari, mihi certe moriendum eſſet, ſi tamdiu in mari commoratus eſſem.

G. Niſi homines eſſent, qui nauigationes in mari facerent, orbis hic terrarum non perluſtraretur.

I. Verum eſt, ſed tamen etiam aliquos eſſe oportet qui agrum colant.

G. Dic mihi quæſo, habesne Capellas, oues, vaccas, fructusque aliquos venales?

I. Si mecum ire placet, omniũ rerũ tibi monſtrauero copiam.

G. Eſtne iter longum? Non eo libenter per ſyluam, cum ibi ſæpe occurrant multæ feræ beſtię, vtpote tygres, Rhinocerotes, & ſerpentes, quos ego reformido admodum.

I. Prope eſt, vallem hanc vbi tranſieris, nec feræ hic ſunt beſtiæ, à quibus tibi metuas.

G. Age ergo, eamus.

I. Dic mihi modo quid expetas. Ego enim tibi vendam quicquid volueris.

G. Ego deſidero boues, capros, & fructus varios, vtpote mala aurea, limonia, granata, Bananas; lac, mel, ſaccharum; arundines ſacchariferas, oryzã contuſam & non contuſam.

I. Bene eſt, habentur hic omnia.

G. Quanti æſtimas hunc bouem?

I. Quid pro illo ſolues, argentumne? an permutabis eum aliis mercibus?

G. Pro boue argẽtũ tibi ſoluã, pro fructibus autem merces permutabo alias.

Malaicè.

D. Kyta orang ſoudágar derri negry iaau, mau viniága de ſiny.

I. Arta maya tjary kamoe?

D. Beta tjary maccánan, ken maccan orang beta, adda banja ſakit: carna kyta ampat boelan dalam láoet.

I. Itoe lamma béna doudock de láoet, béta lecas matty poelãg, jickelou béta bágy lamma de láoet.

D. Iickelou tieda adda orang iãg tieda maau pégy de láoet, iang dunya tieda ſiappa lyat dya.

I. Songo itoe: lágy poen mau orãg iang de nangala tannah.

D. Cattá ſobat, adda tun barang cambing, byrebiery, lemboe attoeu barang bókayou?

I. Iicka enckou mau ialan ſarta beta, barãg barang amba toẽjock kamoe.

D. Adda iaáu de ialan? beta tiedá ſouka de ialan dalam outan, carna banja kály adda bénatãg iahat, bagy Harymou, Bádack, attou Oular, iang de manna amma takot.

I. Adda ſiny ampir lepas pádang yni, ſiny tied adda bénatang, ken adda takot.

D. Baick boela kyta dua.

I. Catta beta appa khandack moe ſakaran, beta berjuwal kamoe barang ſouka?

D. Ako adda bergoena lemboe, cãbing, lagy bokayou, bagy lymoẽ manis, lymoẽ, kapas, bodelyma, piſsang, ſouſou, ayermadoe, ſákar, teboe, bras, deng'an pádee.

I. Baick ſiny adda ſamoenja.

D. Barappa tũ harga lẽboe itoe?

I. Appa tũ maau bry ken itoe, perack, attou mau tocker kẽ harta?

D. Amma bry pérack ken lemboe, iang bokayou beta toukar ken arta láin.

I. Num

Latinè.

I. Numerabis ergo pro illo, si placet quinq; reales argenti.
G. Hoc nimium est, ego tanti non emo.
I. Quantum ergo numerabis?
G. Numerabo tres cum dimidio.
I. Numerabis mihi quatuor & quadrantem.
G. Nolo tempus licitando terere, vis ne quatuor min⁹ quadrãte.
I. Age recipe eum.
G. Necesse est vt eum ad scapham perducas.
I. Hoc faciam, vbi reliqua emeris.
G. Quid expetis pro mille malis limoniis, aureis granatis?
I. Dabis duo specula maiora, quatuor pocula vitrea, & sex nouaculas.
G. Ego dabo quatuor specula minora, sex cultros, septẽ tubas, & decem forpices.
I. Vix audeo tam parui vendere, incurram enim in repræhensionem heri mei.
G. Age, addam duo hæc perspicilia insuper.
I. Accipe ergo, ne stemus hic diutius.
G. Quid dare tibi debeo pro mensura candidæ istius oryzæ, lactis, & mellis?
I. Dabis in vniuersũ vlnã vnã pãni rubri, & duas vlnas pãni nigri.
G. Dabo tibi vlnam vnam viridis, & vlnam vnam flaui panni.
I. Accipe ergo; sed visne quid amplius?
G. Iam non, aduesperascit enim, sed necesse est vt hæc omnia mihi apportes, bouemq; probe ligatum in scapham perducas.
I. Adsunt hic operarii, qui officiũ hoc pro mercede tibi prçstent.
G. Ante tamen pactus eram tecum, vt tute id faceres.
I. Itane factum? fiat igitur.
G. Necesse est vt quotidie nobis adferas, quibus indigebimus.
I. Cras iterum redi, vendam tibi omnia tolerabili precio.

Malaicè.

I. Kamoe bry, jicka mau kyta, lymaryael bésar, pérack baick.
D. Itoe banja bena, beta tieda dapat bly begítoe.
I. Barrapa tun man bry?
D. Amma bry ken kamoe ting'a ampat.
I. Enkou bry ampat se soekoe.
D. Tieda beta dapat tauwar lamma, tun mau coerang sesoukoeu ampat?
I. Baick ambil la kamoe.
D. Tun oenjock dya ke sampan.
I. Amma boat begito, tarkalla souda kerija kyta.
D. Barrapa seriboeu itoe lymoen kapas, lymoẽ manis, bode lyma?
I. Enkou bry dua tjirrement besar, ampat katja mynom, nam pissou penjoukor.
D. Beta bry ampat tjirrement ketjil, nam pissou toujou gingõg, lagy sépoelo gonting.
I. Itoe morra bena, pongolo báta de bakeley ken amba.
D. Baick beta bry itoe dua tIirrement matta lagi lebeh.
I. Ambil, amma tieda dapat dyri lamma.
D. Barrapa beta bry pada soukat bras poutee, ayer sousoe, deng', an ayer madoe?
I. Tun bry samma satoe gas sackelat mieta, dua gas itam.
D. Hamba bry kamoe satoẽ gas sackelat ijou, satoe gas koning.
I. Ambil la: mau tun barang lain?
D. Sakaran tieda, patang hary datan, tun soroh tangong siny sámoe'a, lági lemboe, terékat tegoh de Baua dálam sampam.
I. Adda siny órang Oúpáhan mou brousa ken derham.
D. Beta bro'at, douloeu, iang diery kyta bowat itoe.
I. Baick adda bagitou, beta soeroh bówat?
D. Tun dapat sahary ary bava barang bergoena kyta.
I. Datã issock betá bry morra ken tuan.

Latinè.

G. Verum, dic mihi quæſo antequam abeam, annon domus hic quædam conducenda proſtet, in quam ægrotos noſtros deferamus.

I. Multosne habetis ægrotos?

G. Viginti plus minus.

I. Quo morbo laborant?

G. Pleriq; diarrhœa laborant, aliqui etiam febri correpti ſunt.

I. Sunt hic multi qui mederi eis poſſunt, facile etiam domus pro eis haberi poteſt.

G. Age, craſtina die, vbi ſcapha aduenerit aquas recentes allatum, ego ſimul veniam.

I. Veni quandocunq; placet, Ego ſemper ero domi.

G. Aduesperaſcit, Eundum ergo eſt, Vix ante noctis medium ad nauem perueniemus, longum enim eſt iter ſecundum fluuiū.

I. I, Deus ſit tecum.

G. Deus & te conſeruet.

COLLOQVIVM QVARTVM, DE ALIQVO QVI IN SYLVA aberrauit, & in viam reducitur.

Perſonæ interloquentes ſunt, Iacobus Germanus, & Gabriel Indus.

I. HEus, heus, nemon' audit? Heus ſocii, heus vbi eſtis? Quam vereor ne deerrauerim in ſylua hac, certe viam nullam video, qua euadam, Optimum erit, vt conſcenſo hoc monte, exitum vndiq; diſpiciam, videor mihi in valle iſta ædiculas ſeu tuguriola aliqua videre. Hac tranſeundum eſt, videor mihi homines ibi audire. Sed perquā oportune virum quendam hic video, eum de via interrogabo, ſalue mi amice.

G. Deus tibi benedicat mi vir. Sed vnde venis colore & ſudore adeo deformatus.

I. Hoc tibi dicam domine. Ego cum noſtris hominibus ſyluam

Malaicè.

D. Lagy catta doulou amma ialan, tied adda ſiny ſatoe roema terzywa, ken doedock orang ſakit kyta.

I. Adda banja orang ſakit?

D. Barang dúa poelo orang.

I. Sakit maya adda día?

D. Banja adda ſakit prot bedarah, adda poen iang adda de mam.

I. Adda ſiny orang iang tau ken oúbat, lagy poen dapat ſatoe roema.

D. Baick iſſock tatkalle ſampan dátan ken ambil ayer beta datan ſarta.

I. Datan manna mau kamoe, amma tingal de roema.

D. Klam la amma mau ialan, íady ting'a málam tarcalla kyta datan ke capal, carna ſong'ay penjang ken hylier.

I. Pegy, Alla ſarta kyta.

D. Tingal ken Alla.

IANG AMPAT BARKATTA SAMMA; DE SATOE ORANG beroeutan dalam outan, lagy poelang iálan de toenjock orang.

Iáackoeb orang duyts, Iebrail orang Indiaen.

I. HOu, hou, tieda ſyapa deng'ar? hou teman, hou manna kamoe? takot amma beroutan ſiny dalam outan, tieda beta lyat ialan ſiny ken calouwar, baick amma iálan átas boukit ſiny, ken lyat tieda bèta lyat tempat calouwar, takot amma kelih dalam padang barang roema attou bobarong, beta dapat ialan pada rimba ſiny, takot amma deng'ar orang: ſiny terdyry ſe orāg dya beta tāja ialan, Eſſalemalecom ky a'y.

G. Alla bry ſalamat kyta tuan, derry manna tun ſekeen myerah deng'an berplouch.

I. Amma bercatta ken tuan, beta ſouda ſerta tèman kyta dalam ingreſſus

Latinè.

ingreſſus, vt volucres caperẽ, deerraui de via, & propterea quæſiui aliquem, qui mihi viam monſtraret.

G. Quod tibi nomen eſt?

I. Mihi nomen Iacobo eſt, ſed quomodo tu vocaris?

G. Me vocant Gabrielem.

I. Nomen hoc bonum eſt.

G. Dic mihi Iacob, quo intendis viam?

I. Ad naues noſtras, quæ in portu ab anchoris hærent.

G. Longè aberraſti ergo à via, nec ante veſperam eò peruenire poteris.

I. Non libenter pernoctarem in terra, ſuſpicarentur enim nori homines, infortunium mihi accidiſſe.

G. Mane quæſo per noctem hic mecum, cras tecum ibo, & iter tibi monſtrabo.

I. Cum aliter facere nequeam, morem tibi geram.

G. Non ſine periculo nocte inceditur propter tygres.

I. Manebo igitur vt ſuades, ſed fame & ſiti maxima confectus sũ, diu enim per ſyluas & dumeta vagatus & cutem hinc inde ſpinis acutiſſimis diſcidi.

G. Ingredere ædes meas, ſubminiſtrabo tibi cibum & gallinam mactabo.

I. Præbe mihi potum de vino palmæ, & nuces aliquot Coquos recentes, quas comedam.

G. Eamus, parata enim eſt cœna.

I. Sede tu prior, ego poſtea diſcumbam.

G. Heus, afferat aliquis aquam lauandis manibus. Comede iam Iacob, tu nihil comedis.

I. Nihil facio aliud, quam quod edam.

G. Comede de elixa vel aſſa gallina.

Malaicè.

outan ken boenoeh boerong, beta beroutan de iálan, carna ytoe beta tjary barang ſiappa, iãg mou toenjock ia lã kẽ ãba.

G. Appanuema tuan?

I. Namma beta ia'ackoeb, lagy bagy manna namma tuan?

G. De bry namma beta iebrail.

I. Itoe namma baick.

G. Catta beta Ia'ackoed manna mau anckou?

I. Souka beta dalam cappal kyta, iang de tlock ſiny berlabo.

G. Anckou ſiny iáau de ialan, tieda tapat petang ytoe datan dalam capal?

I. Soukar beta bermalam ke darat, teman kyta takot baran iahat patan ken amba.

G. Tingal ſiny tydoor malam yn iſſocſt beta begy ſamma kyt ken toenjock ialan.

I. Iickelou tieda dapat lain app daya beta.

G. Carna adda miskil malam berjalan ken herrimou.

I. Amma tingal bagy katta tun, wellakin beta banja lapar deng'an daga, carna lamma beta lary dalam outan daen rimba, lagy amma louka pada doery.

G. Maſſock de roema beta ſoero bry makan, jang de ſoero ſommele ayam ſekoer.

I. Bry beta ſakaly tuack ken mynom, deng'an ſatoe Nyoer mouda ken maccan.

G. Boela kyta maccan, maccanan ſouda áder.

I. Doudock tun doelou, kyta doedock comedien.

G. Hou bry la ayer ken baſſo tãg'an kamoe, mackan iaack oeb, tieda maccan.

I. Beta tieda powat la'inke maccã.

G. Raſſa pada ayam reboes, attou ayam pangang.

I. Cibus

Latinè.

I. Cibus iste boni ſaporis eſt, modo ego multam famem haberem.

G. Benè eſt, ſed bibe tandem de hoc vino.

I. Videtur mihi eſſe vinum aduſtum.

G. Eſt ita, paratur enim ex oryza per aduſtionem.

I. Quando autem cubitum ibimus, nam cras manè ſurgendum eſt.

G. Quandocunq; libet, lectus enim tuus paratus eſt.

I. Heus Gabriel, quando ſurgimus, vt iter ingrediamur.

G. Nimis manè eſt, potes adhuc horam integram dormire.

I. Non: Dies enim eſt, ſurgamus.

G. Benè eſt, ego mox veniam.

I. Qua ibimus via?

G. Tranſeundum eſt nobis per ſyluam iſtam, tunc ad fluuium perueniemus, qui itidem ſuperandus eſt.

I. Eſt ne magna eius profunditas.

G. Ad genua vſq; pertingit.

I. Nunquid ſuperato fluuio longius eundum eſt?

G. Inde per altiſſimum montem in vallem deſcendendum eſt.

I. Sed nulline latrones in hac ſylua morantur, qui homines bonis ſpolient?

G. Solent huc interdum hoſtes noſtri excurrere, qui homines capiunt, & pecunia mulctant.

I. Non multum ergò hic periculi eſt?

G. Interdum homines etiam occidunt.

I. Dic Gabriel, vbi montem hunc ſuperauerimus, naueſne videre poterimus.

G. Statim quidem tum eas videbimus, ſed ad dextram tum deflectendum erit.

Malaicè.

I. Iang maccanan adda ſedap raſa, narna lapar beta tain adda.

G. Baick itoe iang my nom ſakaly derry árack ytoe.

I. Amma fikir ítoe arack âpy.

G. Ia, de brouſa dery bras.

I. Tieda kyta pegy tydoor, carna iſſock kyta bankyt derry pagy?

G. Tatkalla ſouka moe, tempat tydoor ſouda aſſil.

I. Hou Iébrail tieda kyta banck it, ken pegy de iálan.

G. Barou lágy, tun dapat lagy tydoort ſejam.

I. Tieda, ſeangla, banckit kyta.

G. Baick beta datan.

I. Ialan appa kyta pégy?

G. Kyta dapat ialan dálam outan ſiny, poelang kyta ſátoe ſong ey, íang kíta iálan ſibran.

I. Song'ey ítoe adda dálam?

G. Lepas ſoetut.

I. Ialan kyta iaau derry ſana?

G. Derry ſana ialan kyta de átas boukit tingy, e poelang dalam ſatoe padang.

I. Lagy dalam outan ſiny tied adda orang merbodt iang de ambil arta orang.

G. Ia, ſiny datan orang ſoutroe kyta, de tangkap orang daen de ſoero teboes.

I. Iicke begien adda miſ kil beſar ſiny?

G. Barang caly poen de boenoch orang.

I. Catta Iebrail, jicke kyta lepas boukit ſiny? dapat kyta lyat cappal?

G. Kyta dapat lyat ſahat lagy, derry ſana kyta ialan ke kánan.

I. Nun-

Latinè.

I. Nunquid orientem vel occidẽtem versus?

G. Paululum meridiem versus & sic porrò.

I. Video iam littus & mare, lætor igitur & spero me breui, (volente Deo) in naui futurum.

G. Quid mercedis mihi dabis, quod in viam te reduxi.

I. Recompensabitur tibi hoc officium probè, vbi ad nauem peruenero.

G. Age igitur, cras reuertar, iam enim mihi domum properandum est.

I. Abi, Deus sit tecum.

COLLOQUIUM QVINTVM, PRO EMENTIbus & vendentibus.

Lucas, Iohannes, Moses.

L. DEᵒ tibi benedicat Iohannes.

I. Et tibi etiam Luca.

L. Quid agis hic tam mane in frigore? nunquid diu hic fuisti?

I. Horam fermè integram.

L. Multumne mercium vendidisti hodiè?

I. Quid vendiderim, nec dum initium feci, pecuniamue vllam accepi.

L. Nec ego.

I. Esto bono animo, vix dies illuxit, Deus sat emptorum dabit.

L. Credo iã venire aliquem, Domine mi quid empturus es? An nihil libet emere? Vide an aliquid habeam, quod tibi ex vsu sit. Ingredere tabernam. Habeo pannos rubros coccineos, nigros item, flauos, virides, purpuraceos, omnis denique coloris, quales quis expetere

Malaicè.

I. Dapat kyta ialan Tymoor attou ke Bárat?

G. Sekit ke Sálatan, commedien ke Outara.

I. Beta lyat pásir deng'an láoet, kẽ manna beta soucka banja, amma (Insilla) sakaran lácas dalã capal.

G. Appa tun bry ken béta carna amma toenjock ialan?

I. De bayar baick ken tun tarcalla beta dálam capal.

G. Baick issock amma poelang, sakaran beta combaly ke roema.

I. Pegy, Alla serta kamoe.

IANG LYMA BERKATTA SAMMA, KEN BEREYER BLY DAEN IUWAL.

Sy Lucas, sy Iohan, sy Mousa.

L. ALla de bry salamat Iohan.

I. De tu'an poen begytoe Lucos.

L. Appa bowat pagy hary dalam soujock? Adda tun lamma de siny?

I. Barang sejam.

L. Adda iuwal banja hary yny?

I. Appa dapat iuwal begien harÿ, belom beta tryma barang harga.

L. Lagy beta doen tieda.

I. Iang'an tjinta, lagy hary barou, alla de soeroh barang soudagar ke matee.

L. Takot beta siny datan satoe, tuan appa mau bly? mau bly barang barang? lyat jicke beta tied'adda khandack kyta, massock dalam kedey, amma adda siny sakalat niera baick, lagy itam, koning, yjou, lambayong, poelang barang warna kamoe mau, adda poen par amba

Latinè.

tere poteſt. Habeo etiã linteũ tenui filo, & ſericeũ pannũ, vtpote Holoſericũ optimũ, Holoſericũ floribus omnis generis decoratũ, Damaſcenũ, Taffetum, Camelinum, globulos corallinos, circulos corallinos, pulchra ſpecula, pocula vitrea omnis generis, papyrum, perſpicilia pro diuerſæ ætatis hominibus, Si ſclopetum vel gladium bonum deſideras, en adſunt, pete quod libet, ego monſtrabo tibi quicquid volueris, & id gratis quidem.

M. Quanti venit vlna iſtius panni?

L. Vlna vna venditur Taiela.

M. Precioſius ergo eſt, quam qui mihi conueniat. Quanti venit vlna de Camelino?

L. Solues mihi ſi placet ſex Maeſas pro ſingulis vlnis.

M. Nimium eſt, craſſo enim filo conſtat.

L. Cum venia, intuere rectius, pulchro filo, & pulchri nitoris eſt.

M. Nunquid colorem non amittit?

L. Niſi ſeruauerit colorem, ego pecuniam tibi reſtituam.

M. Age ergo, dic quantum dare debeam?

L. Dixi, ſex Maeſas.

M. Non libet mihi tantum pro eo dare.

L. Quid dabis ergo, an nihil reponis?

M. Quid reponam? tu nimium poſtulaſti.

L. Ego poſtulaui, ſed non eo ſenſu, quaſi non poſſem aliquid remittere, & vilius vendere. Dic quid pro eo dare velis?

M. Numerabo tres maeſas & tres coupangas.

L. Non poſſum tam vili vendere precio, alias enim ſortis iacturam

Malaicè.

amba kajin iang alus, kajin ſultra baick, mockemael baick, mockemal bergong'a derry barãg ienis, moſſayjar, attelas, ſouf, polam niera bertesbeh, polam bertjabang, tijrrement baick, kattja permynom'an barang ienis, cartas, tijrment matta ienis ienis, ijcke tuã mau ſatoe bedil pedang baick, adda par beta iang baick, pinta parang khandack moe, beta bry lyar, ken lyat tieda bry harga.

M. Barrapa harga ſeges ſackelat ytoe?

L. Hargaenia ſetayeel ſe gas.

M. Harga beſar pada beta, barpa harga ſegas ſoufyny?

L. Tuan bayer jickelou mau kamoe nam maes ſe gas.

M. Mahal bena, carna caſſar.

L. Sentaby, lyat bay baick, adda alus iang ayer poeu baick adda.

M. Tieda beroubah warnaenja?

L. Iicka tieda tingal warnaenja, amba poelang derhã kamoe.

M. Baiok, catta barrapa beta bry?

L. Souda beta katta, nam maes.

M. Tieda beta dapat bry ſekien.

L. Barba tun harga ken amba.

M. Appa tauwar beta? beſar tun harga ken amba.

L. Tied'adda, lagy tieda ter katta, jang beta tieda bry coerang, catta barrapa tun mau bry?

M. Beta bry ken ytoe tyga Maes, tyga Coupang.

L. Tieda beta dapat bry begytoe, jicka beta bry ſekien, amma mo-

Latinè.

ram facerem. Habeo quidem alius generis, quem eo precio vendere poſſum, ſed non eius eſt præſtantiæ. Dabo tibi videndum, quem minoris vendere poſſum, ſed tu melius facere non potes, quam ſi optimum emeris. Quod ſi fratres eſſemus, melioris tibi notæ exhibere nullum poſſem.

M. Vis pecuniam meam?

L. Ea conditione non poſſum.

M. Addã adhuc Maeſam & Coupangam vnam.

L. Non poſſum, oporteret me de meo perdere.

M. Non libet plus numerare.

L. Age, in nomine Domini, abi viſum alibi, an minoris emere poſſis, nullibi certè accipies minori precio, ego enim tanti vendere poſſum, quanti alius in ciuitate; ſed neceſſe tamen eſt, vt aliquid lucrifaciam, non ſedeo hic vt perdam aliquid de meo. Scis omnia eſſe in magno precio; alterum ergo alterum ſequatur oportet. Niſi volueris numerare quinque Maeſas, non poſſum te iuuare, nimis enim tenax es.

M. Sic ſum ego.

L. In te quidem nemo quid lucrabitur. Si omnes ea tenacitate eſſent, cogerer vtiq; tabernam meam claudere, non enim victum meum lucrarer.

M. Ita quidem dicis.

L. Eſt profectò ita, vt dico.

M. Audi adhuc vnum verbum.

L. Loquere, ego audiam.

M. Numerabo quinq; Maeſas, minus vna Coupanga.

L. Parum eſt, non poſſum ita vendere.

M. Quid ergo; annon accipiam?

L. Non

Malaicè.

moroegy, amma adda iang de ſiny, beta bry kamoe harga begytoe, wellákin tied'adda baick bagy ytoe, beta bry liat ken tuan, ako bry coerang, wellákin tun tieda dapat bowat lain baick ken bly barang jang baick, jicka kyta poen ſoudara, beta poen tieda, dapat bry jang baick lain.

M. Mau tuan terham beta?

L. Tieda begytoe tuan.

M. Beta bry lagy Sámaes ſe Coupan lebeh.

L. Tieda dapat, amma moroegy.

M. Amma poen tieda bry lebeh.

L. Baick biſmilláa, pégy tenpat láin liat jicke dapat bly morra, tieda tuan dapat dempat lain harga coerang, amma dapat bry harga ſekien bagy barang orang dalan bendar, wellakin mau beta laba ſedekidt, beta tieda doudock ſiny dalam kedey ken morougy, mau beta ydop ken yny, tũ taau barãg barang adda mahal, carna ytoe ſatoe ekot lain, jickelou tieda mau bry lyma maes, tied'ako dapat tompo, tuan kykit banja.

M. Songo beta begytoe.

L. Tieda dapat berlabba pada tuan, jicka ſammoenja kykır begytoe bagy kyta, beta dapat la toetoep kedey amma, carna tieda dapat brulle maccanan beta.

M. Bagy kata kamoe.

L. Itoe ſongo.

M. Boela deng'ar ſepattah.

L. Baick katta, beta deng'ar.

M. Amma bry coerang ſecoupang lyma maes.

L. Sedekit iouwa, beta tieda dapat bry begytoe.

M. Begy manna, iady ken ako?

L. Har-

Latinè.

L. Non isthoc precio.

M. Age ergo, custodiat te Deus.

L. I, Deus sit tecum. Heus reuertere & accipe, non possum te dimittere, & facis id, vt alio tempore reuertaris, & iterum à me emas, sed nimis tamen vile est precium.

M. Tuo quidem arbitratu, sed ego dico nimis magnum esse, & me à te circumuentum.

L. Absoluo te ab emptione, siquidem te eius pœnitet.

M. Turpe esset, si hoc facerem, accipe pecuniam tuam. Quantum debeo?

L. Ego computaui in vnam summam, & deprehendi mihi deberi vndecim Taielas, octo Maesas & tres Coupangas.

M. Rectè ne facta est computatio.

L. Ita, rectè facta est.

M. Age ergo, accipe & numera pecuniam tuam.

L. Pecunia hæc non est bona.

M. Quare non est bona?

L. Ideo quod nummi multi læsi & fracti in ea sint.

M. Age, elige nummos istos læsos & vitiosos, eosq; mihi redde.

L. Faciam ita.

M. Redde mihi Coupangam vnam, quæ mihi restat.

L. Nihil etiamnum hodie Cassiæ accepi.

M. Vt igitur nos exsoluamus, accipiam hæc minora pocula pro Coupanga.

L. Accipe ea, sed alio tempore aliquid amplius solues.

M. Id faciam (Deo volente.)

L. Visne vt aliquis portet merces tuas? Ego seruo meo portandas committam.

M. Non est necesse, ego ipsemet portabo, custodiat te Deus.

L. Ha-

Malaice.

L. Harga begitoe tieda.

M. Baick tingal ken Alla.

L. Pegy, Alla sarta moe, maree ambil la, beta tieda dapat salan kamoe, carna tun lai kály pada beta, poelang ken derham, wellakin morra béna.

M. Itoe tun katta, amma catta iang máhal béna, tun souda berdeng'oed'ako.

L. Ako lepas enkou, jicka tieda soucka kamoe.

M. Itoe malou jicka beta keryja begitoe, ambil derham tun, berrapa iady?

L. Souda beta bekiera, iady seblas. Tayeel, delapan maes, tyga coupang.

M. Adda baick kekiera begytoe?

L. Ia, begytoe betoel.

M. Baick ambil la derham kamôe.

L. Derham itoe coerang.

M. Carna appa coerang.

L. Carna banja tjirah, sombing, lagy pattah.

M. Baick pilleh iang tieda baick poelang ken amba.

L. Beta keryja begítoe.

M. Se coupang combaly ken beta, iang adda lebeh.

L. Beta belom tryma kas hary iny.

M. Carna tjerey dua kyta, beta ambil maukó ketjil pada coupang iny.

L. Ambil, kamoe lain kaly tun bry sekít lebeh.

M. Hāba bowat begíē (insi Alla.)

L. Tuan mau souro bava barang barang kemoe, beta soero pada sakey hamba.

M. Tiedang appa hamba dapat bava, tingal ken Alla.

L. Som-

Latinè.

L. Habeo gratiam mi Domine, vbi quid amplius volueris, reuertere ad me, & accipies id tolerabili precio.
M. Benè est, reuertar.
L. Deus sit tecum mi Domine.

Malaicè.

L. Somba beta ken tuan hamba, tarkalle tuā barang pergoena, datan pada hamba, beta bry harga morra.
M. Baick hamba datan.
L. Alla adda ſarta tuan hambá.

Sciat lector, Tail⸗s, Maeſas, Coupangas & Caſſias, quarum hic facta eſt mentio, pecuniam eſſe Atchenenſem. Sumatra autem Taila valet ſedecim Maeſas, Maeſa vero valet quatuor Coupangas, continetq; Maeſa vna, quater mille & quingentas Caſſias.

COLLOQUIUM SEXTUM QVOMODO DEbitum ſit exigendum.

Ioſephus, Adamus, Iſaacus.

I. SAlue mi Domine.
A. Et tu ſimiliter amice.
I. Noſti procul dubio, cur aduenıam, annon?
A. Non certè.
I. An neſcis quis ego ſim?
